

00
A
341



P. e. 99



17
EXPLICATIO

ἑλεγκτικῆ

9
Evangelii Domin. XXV.

post Trinit.

QUAM

P R E S I D E

DN.

JOHANNE GERHARDO

DOCTORE ET PROFESSORE

THEOLOGO

Suo

*Patrono, Præceptore & Fautore eternâ animi
observantiâ venerando*

Ad disputandum proponit

M. ANDREAS MERCKIUS

Quernfurtensis.

Ad diem 16. Novemb.

ANNO M. DC. XVI.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.



EXPLICATIO

Evangelii Domini. XXV.

post Trinitatem

P R A E S I D E

Dr.

JOHANNES GERHARDO

DOCTORE ET PROFESSORE

THEOLOGO

2no

Patrone, Praeceptoris & Pastoris aeternam animam

obsequantur veneranda

ad diffundendum proponit

M. ANDREAS MERCKIUS

Quintessentia

Ad lectum in Novemb.

ANNO M. DC. XVI.

J. N. E.

Typis Joannis Steinmanni





EVANGELIUM

DOMINICA XXV. POST
TRINITATIS.

THESIS I.

PRæsens textus sicut inter reliquos anniversarios difficilimus; ita certè longè utilissimus est. Difficilem reddunt innumera eruditorum de eodem ejusdemq; subjecto & scopo disputationes. Utilem arguunt non tantùm certatùm Hierosolymæ vastationis, tum mundi totius finis & interitus *κρίσις*: sed etiã paternæ de notandis iisdemq; fugiendis Satanæ moliminibus, quibus in veritate cœlesti sub reâ specie corrumpeuda, Ecclesiãq; miserè seducenda utitur, admonitiones.

II. Causa *προκατακτινὴ* sive occasio hujus concionis fuit discipulorum quæstio, Christo in monte Oliveti de tempore & signo interitus templi & consummationis seculi, ipsiusq; adventus proposita v. 3.

III. Huic item interrogationi occasionem præbuit sermo Christi præcedens c. 23. 38. 39. quem sibi jam copiosius explicari petunt. *Beza sup. h. l.*

IV. Cum a. dicto v. 38. Christus tantùm de excidio Hierosolymitano loquutus fuisse videatur, utique quæri potest, quare discipuli interrogantes c. 24. 3. templi excidium & finem seculi commisceant? Resp. cum D. Hunnio sup. h. l. *ipso versatos fuisse in hac opinione, quòd templum unà cum civitate excindi haud posset, priusquam universum hoc creati mundi splendidissimum templum interiret ac dissolveretur.*

V. Respondet autem ad datam quæstionem Christus distinctè de utroq; Hierosolymæ scil. & mundi excidio: variaq; utriusq; per maximam capitis partem signa tum generalia tum specialia adducit,

adducit. Et de his præsens textus, qui incipit à v. 15. & desinit v. 28. magnam tractat partem.

V. I. Ubi quæritur, an is de excidio Hierosolymitano solum, an verò de mundi consummatione & ultimo Christi adventu simul tractet? Affirmamus post. Rationem assertionis, contrariâq; sententiam infra in explicatione *versus 23.* annotabimus.

V. II. Dispescimus ergò hoc Christi vaticinium in duo hæc principalia membra. Prius est de miserabili Hierosolymæ excidio. Posterius de adventu Christi & mundi fine extremo.

De Priori.

Quod continetur vv. à 15. usq; ad 23. octo.

V. III. Considerari autem potest hæc Hierosolymitana desolatio secundum 1. causam promerentem. 2. procreantem. 3. signum. 4. Adjuncta. 5. Eventum.

I. IX. *Causam meritoriam* quod attinet, notant eam non tantum omnes ferè Prophetæ & taxant graviter: sed & Christus ipse serio fletu Luc. 19, 41. exponit v. 44. quòd scilicet sit *σκληροκαρδία* illa pertinax, & in peccatis atrocissimis perseverantia, cum maximo bonitatis & visitationis divinæ contemptu *Matth. 23. 37.* speciatim verò addit nefandas ex contemptu hoc profluentes sanctorum Prophetarum & Dd. cædes *Matth. 23. 34. 35. 37.*

X. Propheta Daniel c. 9, 26. unde hoc vaticinium desumptum est, desolationis hujus causam singularem ponit excisionem Uncti, id est Christi. *Memento* (inquit Hieron. ep. 129. ad Dardan.) *vocis parentum tuorum, sanguis ejus super nos & super filios nostros: & hic est heres, venite occidamus eum, & nostra erit hereditas: & non habemus regem nisi Cesarem &c.*

XI. Et hæc sunt causa everfionis urbium & Rerumpub. peccata nim. incolarum, ut liquet exemplis huic ipsi Judæorum additis, utpote Sodomitarum *Genes. 19.* Samariæ *2. Reg. 17.* Hierosolymæ *2. Reg. 24.* Babylonis *Esa. 45. Jer. 50. &c.* Sicut enim *Nomen & gratia Domini fortissima turris est* non tantum cuiq; *justo. Prov. 18, 10.* sed & totis civitatibus & Rebusp. tandemq; cuiq; qui illuc currit: ita nulla arx & turris aliàs munitissima & fortissima, deficiente hæc Domini turri & præsidio, inexpugnabilis est.

XII. *Causa*

XII. *Caussam efficientem procreantem* Lucas exponit *6.27, 20. exer-* 2:
citatus scil. Romanorum, Hierosolymam circumdantes: Cum vi-
deritis circumdari ab exercitibus Hierosolymam &c. Dan. 9, 26. & civita-
tem & sanctuarium dissipabit *עַם נְגִיד הַבְּנֵי* *populus ducis venturi.*

XIII. Ducem hunc cum orthodoxis rectè constituit Vespasianum & Titum Perer. *sup. h. l. Polanus ibid.* dissentire videtur, verba sic habent: (Populus Ducis seu Antecessoris venturus) *Intel-*
ligit Gentes quæ tum quidem adhuc erant absq. Antecessore Christo, aliena à
Republ. Israël & extraneæ, quod ad fœdera promissionis attinet, spem non
habentes, & absq. Deo in mundo. Ephes. 2, 12. sed futurae erant populus An-
tecessoris h. e. Christi servatoris mundi, atq. adeò populus Dei, juxta hoc
Angeli vaticinium &c. Quibus ut & sequentibus innuit, vocabulum
Ducis non ad Titum sed ad Christum referri.

XIV. Verùm licet id veritati cœlesti aliàs *ὀμολογηθῆναι*, tamen
hoc loco cum Angeli mente congruere dissuadet I. *κείνην* po-
puli ad devastationem missi tum temporis apparens, quale non
erat futura illa ad Messiam *נַגִּיד* Principem & Ducem illum vitæ
conversio, hanc enim tempore vastationis nondum factam vel
ipse Polanus verbis ult. confitetur. II. Ipsum Ducis vocabulum,
κατ' ἐξοχὴν enim ipse Dux vocatur absq. respectiva designatione,
& quidem venturus: quo vel utroq. insinuare vult Gabriel, talem
fore Ducem, non qui exercitus illos venturos tantùm adducat,
sed & cui ipsi, ablato tunc sceptro de Juda Genes. 49, 10. parere
necessum sint habituri. III. Consensus interpretum de Tito id
intelligentium. Adde Gesn. *disp. de c. 9. Dan. th. 179.*

XV. *Signum futurae hujus desolationis ponitur statim in ini-* 3:
tio textus: Cùm ergò videritis abominationem desolationis. τὸ εἶναι
illativum sed continuativum sermonis, conveniens cum Græco
δὲ, ut habet Franc. Luc. Brug. sensus est: Hactenus mixtim de signis
antecessuris utramq. vastitatem, & particularem illam Judææ & universa-
lem hanc totius mundi concionatus est Christus, quatenus illa est in multis
quidam typus temporum novissimorum, tametsi principaliter spectent ea la-
bentis ac senescentis mundi novissimam ætatem: nunc porro distinctè de Ju-
dææ desolatione tum de fine seculi agit. D. Hunn. sup. h. l.

XVI. Quænam verò & qualis hæc sit abominatio, variant
tum B. Patrum tum recentium etiam Dd. atque Interpr. senten-

rentiæ, ipsa desolationis abominatio propter obscuritatem dicti non uno modo ab hominibus potuit intelligi. Aug. ep. 80.

XVII. 1. Quidam interpretantur de desolatione ipsa abominanda & detestanda, dicuntque Hebraismum esse. Ita enim Maldon. super h. l. *In re prorsus incerta pro vero quod verosimilius videtur habeo, abominationem desolationis ipsam appellari desolationem, phrasimq; esse Hebræorum, quæ abominatio desol. dicitur, id est, abominabilis & horrenda desolatio, sicut 2. Thess. 2, 11. &c.*

XVIII. Sed respondet Gesn. disp. in c. 9. Dan. th. 198. huic sententiæ Christi mentem obstare, qui abominationem de signo devastationis exponit, quare non potest esse ipsa devastatio.

XIX. 2. Quidam interpretantur de abominando idolo Antiochi Epiphani, de quo 1. Macc. 1. & ap. Ioseph. l. 12. antiq. c. 7. quando regio edicto prophanatum fuit templum, collocatâ Jovis Olympii statuâ, in sacratissima templi sede, quod Judæis planè erat intolerabile: multis etiam stupris patratis intra ipsos sacros parietes, & mactatis hostiis lege Dei prohibitis. Illudq; Antiochi idolum (inquit Perer. l. 10. comm. sup. Dan. c. 9.) vocatur abominatio more Scripturæ, quæ omne idolum vocat abominationem; devastationis, quia urbe temploq; profanatis atq; vastatis collocatum fuerat. Add. Barrad. in conc. Evang. p. 561. D.

XX. Sed hæc interpretatio non congruit. Quamvis enim satis abominandæ fuerint istæ desolationes & ἐδειλύματα: de illis tamen Christus hic non loquitur. Primò enim (verba sunt Pererii) Gabriel apud Dan. significat mala, quæ Judæis, exactis jam 70. hebdomadibus contigerunt: illud autem Antiochi idolum positum est in templo Judæorum circa 41. hebdom. scil. non minus 160. annis ante Christi adventû. 2. Gabriel affirmat abom. desol. usq; ad finem, hoc est, in perpetuum mansuram: idolum autem illud non plus tribus annis stetit. 3. Iphis Christi verbis: *Cum videritis* (quæ futuri temporis sunt, σημεια τικα) merito corrigendi sunt, qui dicunt, eam abominationem cum hæc Dominus loqueretur, vel ante passionem resurrectionemq; ejus fuisse completam, inquit August. ep. 80.

XXI. 3. Alia interpretatio est Irenæi l. 5. adv. her. c. 21. qui abominationem illam accipit de Anti-Christo. Occasionem sententiæ exponit D. Gesn. dicta disp. th. 193. Ter meminit, inquit, Dan. abominationis desol. c. 11. 31. c. 12. 11, c. 9. 27. quia verò hæc interpretas

non rectè distinxerunt, inde factum est, ut Irenæus & alii hoc Edixypa c. 9. cum illo c. 12. confuderint & de AntiChristo interpretati sint.

XXII. Sed licet AntiChristus rectè quidem (ut benè respondet Perer.) nominetur & sit abominatio desol. &c. licet etiam vastatio illa (ut infra videbimus) Hierosolymitana verè fuerit typus vastationis AntiChristianæ & Papisticæ postea secutæ: tamen huius loci sensui primario contrariatur, quia hinc citra dubium sermo est de signo devastatione Hieros. antecessuro, AntiChristum a. eo tempore nondum fuisse manifestum ex 2. Thess. 2. liquidè constat. Gesn. d. l. th. 194

XXIII. 4. Chrysoft: super h. l. Abominationem (inquit) appellat Dominus ejus statuam, qui urbem expugnavit, (id est, Titi) quam desolatam urbe atq; subverso templo, intus statuit, &c. Idem sentiunt Theophyl. & Euthym. Refellitur hæc interpr. quia si posita est statua illa in templo solo æquatio signum esse non poterat fugæ. Positam autem fuisse nulla memoriæ prodit historia. Barr. pag. 560. 6. Jans, p. 836, Mald, pag. 487. Per, in Dan. p. 516.

XXIV. 5. Multi ex collatione Luc. 21, 20. De Romanorum exercitu desolante & devastante intelligunt. Abominationem desolationis, id est, exitialem (verba sunt Fr. Luc. Br.) minitantem desolationem & exitium, quam quisvis recti iudicii portendere iudicet, & secum irabere desolationem atq; interitum. Hebraicè est (pergit) **מְדַבֵּר** id. quod Christus & Evangelistæ secuti LXX. Int. acceperunt pro abstracto (quoniam hi pl. num. verterint desolationum) cæteroqui concretum est; Participium inquam, quod est, desolans sive desolantis, desolantis autem turba vel exercitus. Dicitur abom. desolationis, id est, desolans & evertens, ut vir fortitudinis vir fortis. Barrad.

XXV. Augustini hanc fuisse sententiam testatur Perer d. l. ex ep. ejus 80. ad Hesyech. Item Origenis tract. 26. Autoris imperfecti Oper. hom. 49. Chrylostom. hom. 77. ut annotat, Barr.

XXVI. Cur autem vocetur abominatio Titi exercitus, exponitur ap. Fr. Brug. Romanus, inquit, exercitus Ierusalem obsidens verè fuit abominatio, non solum quia idololatriæ constabat, sed & quia idola secum attulerat, si non in statu, quod tamen est verisimile, minimum in insignibus militaribus, quorum alia Iovis, alia Martis, alia Minervæ, alia Lunæ, alia Caesaris, alia aquilæ gerebat effigies. Adde Jans, in Harm. c. 122. &c. Perer. sup. Dan.

XXVII. Sed Maldon. super h. l. Persuadere (inquit) mihi non possunt.

possim, Romanorum exercitum abominationem hic appellari. Verum quia
Christus addit stantem in loco sancto, id est, templo; Romanorum autem ex-
ercitus in templo non stetit, nisi excisa jam & vastata urbe: itaque non pote-
rat futurae templi urbisque eversionis signum esse. Adde Barr. pag. 560. &
Gesn. d. disp. th. 200.

XXVIII. Verum & de ipso exercitu disceptatur. Hessel. & Ian-
sen (ut annotat Perer. in Dan.) negant intelligendum hic exercitum
Titi, & priorem quandam obsidionem Hierusalem, quae facta est à
Cestio praefide Syriae, intelligunt, de qua Ios. l. 2. de Bello c. 24. Verba
cum Iansen. p. 836 b. congruunt ubi ratio addita: Quia tunc (scilicet
tempore obsid. Titi) fuisset nimis sera fuga ex Iudaea.

XXIX. Negat Per. d. l. 1. ex illa hypoth. quod verba Luc. 21,
20. de tali obsid. intelligenda, quae summum Iudaeis exitium attu-
lit, quale non fuerit Cestii, quippe, quae nec plena fuit nec diu-
turna. 2. quo ad fugam, responderet, Christum nominatim loqui
de iis, qui in reliqua Iudaeorum regione versabantur, quibus fu-
giendi facultas erat. Adde Fr. Brug.

XXX. 6. Alia interpretatio est Tostati, Hesseli & Iansenii. ut
annotat Perer. Verba Iansen. Conc. Evang. c. 122 sunt: Iam secundum To-
statum rectissime acceperimus per abom. seditiosos illos, de quibus Ios. l. 4. &
5. de Bello. qui paulo ante obsidionem, & in ipsa obsidione ipsum templum
abominandis polluerunt sceleribus, sanguine etiam innocentum effuso ipsum
foedantes. Et paulo post. Eandem sent. sequitur Dn. D. Ioh. Hesselius & c.
Horum scelerum (inquit Per.) Principes & auctores fuere, qui vo-
cabantur Zelotae. Ios. l. 4. de Bell. c. 5. & l. 2. c. 28. l. 5. c. 2. Adde Bru-
gensem p. 389.

XXXI. Mald. responderet: Ut eam credam abominationem appella-
tam, adduci non possum. Perer. multis disputat; & demum negat
hanc fuisse causam scilicet ut videtur, principalem, qualis fuerit in-
ternecio Messiae. p. 529.

XXXII. 7. Franc. L. Brug. p. 388. conjungit Origenis, qui de
Exercitu Romano, & Tostati, qui de sceleratissimis illis Zelotis
abominationem intelligunt, sententias & dicit: neutram harum per
se sufficere sed utramque jungendam esse. p. 389. rationem addit: Neque enim,
inquit, mirum videri debet, quod nos duplicem abominationem hic intelliga-
mus, cum Christus non nisi abominationem sing. num. dixerit: nam praeter-
quam quod Propheta Daniel Hebraice utatur num. pl. abominationum,
& Lucas Graece num. pl. exercituum, recte potest num. sing. duplex intel-
ligi

figi abominatio; ubi una sine altera mente concipi non potest. Non enim concipi potest exercitus oppugnans, nisi concipiatur & propugnans. supra enim addiderat: Rom. exercitui opposuit se exercitus Zelotarum.

XXXIII 8. Magna interpretum pars de statua aliqua seu idolo quodam aut simulacro gentili in templum illato, inq; ipso sacrario collato intelligunt. Ratio probabilitatis additur ap. *Barrad. p. 561. Illud non tacendum, ait, abominationem appellari in Script. idolum Deut. 32. 16. 2. Reg. 23. 13. in quo posteriori versu bis reperitur* *וְקָדְשׁוֹ* quod *Dan 9, 27. in plur. positum* *וְקָדְשׁוֹ* Huic sententia subscribunt referente *Pererio, D. Hieron. Chryso. Theodor.*

XXXIV. De qua verò statua id. 1. *Chrysof. intelligat, antea dictum est, 2. Hieron. super h. c. aut de imagine Cæsaris (sci. Tiberii, aut annotat Gesn. in c. 9. Dan. thes. 204.) quam Pilatus posuit in templo, aut de Adriani equestri statua. Theodoretus item de Imperatorum imaginibus intelligit. sup. Dan. Facta testantur Ios. 1, 18. Antiq. t. 4. & 2. de Bell. c. 9. Euseb. l. 4. hist. c. 6.*

XXXV. *Neutrum mihi videtur probabile, inquit Mald. Nam statuam Cæs. Pilatus in templo non posuit sed in urbem solam induxit, idq; clam in tempesta nocte & in vexillis militaribus: deinde non stetit nisi ad paucos dies: Nam Pilatus victus Iudaeorum precibus vexilla subduxit Authore Iosepho d. l. Adde, pergit Maldon. quod cum hoc Christus dixit, iam id factum fuerat. Ita annotat etiam Barrad. pag. 560. b. Iansen. 836. a. Per. in Dan. p. 526.*

XXXVI. Verum contra hos subscribit ipsi Hieronymo & Theodoro *D. Gesn. in c. 9. Dan. th. 203.*

XXXVII. 3. De statua Caligulae abominationem exponit *D. Hunnius super. h. l. & dicit: Collocata autem est abominatio in templum, quando C. Caligula Petronio Syra Praefidi mandavit, ut statuam suae imaginis idololatricam nomine Iovis templo Hieros. inferret. Et paulò post: Sic ergò stans in loco sancto per integrum id tempus, quod ab illo Caligula factò usq; ad eversionem urbis interjacet, continuum erat signum &c. Ad datur Philo, qui his ipsis temporibus vixit, & anno Christi 40. cum aliis missus est Romam à gente sua ad C. Calig. Cujus hæc sunt verba: Multa erat in Cajo ingenii pravitas &c. templum quoq; sanctae civitatis, quod solum manebat totius prophanae contagionis intactum, & à Majoribus perduraverat asylum, commutate in templum proprii nominis ausus fuit, ut ædes Iovis nobilissimi Dei Caji vocarentur, Congruit Euseb.*

B

lib. 2.

lib. 2. cap. 6. ubi refert Imp. Romani statuam in ipso templo cum hac inscriptione collocatam: *Cajo illustri Iovi.*

XXXVIII. Huic sententiæ contrariatur D. Gesn. d. l. th. 206. ubi ait: *Quod alii de C. Calig. statua hunc locum exponunt, id quoque subsistere nequit, eo quod Calig. honores quidem divinos vehementer affectavit, statuamque sibi dedicari in templo severissime imperavit, sed partim Petronii Præsidis in Syria prudentiâ, cui executio commissa erat, partim Agrippæ regis intercessione id impeditum fuit, ut narrat Jos. l. 8. Antiq. c. 11.*

XXXIX. 4. Quod etiam addendum, existimant quidam ad abominationem hanc, quæ de statuâ exponitur, pertinere etiam auream illam Herodis aquilam. In quam sent. Beza in annot. sup. h. c. inquit: sic autem designat Propheta profanationem templi collocatâ ibi aquilâ &c.

XL. Sed respondent quidam, secundum Prophetiam Danielis abominationem collocandam esse apud alas Cherubim, & ita in sancto sanctorum: Aquila verò Herodis eidem illata non fuit, sed posita tantum supra portam templi, secundum Jos. l. 17. Antiq. c. 8. & l. 1. de Bell. c. 21.

XLI 9. Sed quid in tanta diversorum interpretum variatione statuendum, videamus. Rejctis igitur quatuor prioribus opinionibus, posteriores quatuor ita comparatæ videntur, ut sibi non omnino contradicant, nec alia aliâ planè evertat, sed conciliari atque conjungi quodammodo queant. Distingvendo scil. inter signum aliquantò remotum & maximè propinquum. Quoad prius, adjungenda est Roman. vexillis atque Imp. statuâ (adhibitâ distinctione inter statuâ ante & post desolationem positas) tota templi & cultus divini corruptela & profanatio, tum à seditiosis Judæis, religionis patriæ Zelum præ se ferentibus, & omnia cædibus aliisque flagitiis, etiam interiorem templi partem miscentibus atque contaminantibus factam; tum in eo etiam, quod paulò antè obsessam à Rom. urbem, Pontifex fuit Ananias, homo Josepho teste planè nefarius & Sadducæus, atque ita non Pontifex sed abominatio & desolatio Pontificatus. Laborante autem capite, reliqua etiam laborant membra, & proinde contra legem patrata plurima. Posterius est secundum Lucam ipse exercitus Romanus ut *νεπηρογ* desolationis maximè propinquum ac propterea certissimum. Dicitur a, hæc desolationis abominatio vel per Meton. hyperbolicam

licam adjuncti, quia signum erat: vel per Meton. effecti, quia causa procreans erat desolationis. Et hæc de Hierosolymitana abominatione.

XLII. Hanc verò abominationem Christus amplificat. 1. à Testimonio divino mediato, Danielis sc. Prophetæ, qui eam prædixerat. Textus: *Quæ dicta est per Prophetam Danielem.*

XLIII. Quo autem capite hoc factum, disceptatur. Antea ex D. Gesn. monstravimus, ter Danielem meminisse abominationis desol. nimirum c. 9, 27. 11, 31. 12, 11. Quæritur ergò quinam, versus verbis Christi aptari possit? *Beza super h. l. dicit, eundem petiitum esse ex Dan. 12, 11. Calvinus* (ut annotat Mald. p. 486.) errare dicit eos qui ex c. 9. desumptum existimant. *Polanus* contrarium sentit sup. c. 9. Dan. hocque verum esse vaticinium asserit. Consentunt non tantum Interpp. Orthodoxi, sed & Mald. Ians. Perer. Et Brug. dd. li. Maldan. verba sunt: *Errare ego dico Calvinum*, quod ex 12. cap. sumptum esse putet: nam ibi Daniel non de Antiocho, aut de Tito & Vesp. sed de Anti Christo vaticinatur: & c. 9. ita futuram in templo abominationem cum Christi morte conjungit, ut dubium esse non possit, quin de templi vastatione loquatur, quæ minimo intervallo Christi mortem secuta est.

XLIV. 2. A subjecto loco T. In loco sancto. Marcus cap. 13. 14. addit: *Vbi non oportet.* Intelligitur autem ex sententia quorundam secundum Matthæum & Marcum, & respectu signi aliquantò remoti; per synec. generis Templum: & iterum per syn. totius, ea templi pars quæ sanctum sanctorum καὶ ἑξοχὴν appellabatur, in quo arca fœderis olim asservata: secundum Lucam verò ex sententia plerorumque tota vicinia Hierosolymitana, terra & locus ille sanctus.

XLV. 3. A subjecta παραίεσις. T. Qui legit, intelligat, quâ pios ad seriam & piam vaticinii Danielis considerationem adhortatur. Intelligat, bene Beza; animadvertat Fr. Br. conetur intelligere, dei operam ut intelligat. Obscurus enim est locus, &c. Hæc de signo devastationis.

XLVI. Nunc adjunctam, quæ circa obsidionem ac desolationem hanc futura erat, atrocitatem, calamitatem & miseriam describit: Et 1. quidem ab adjuncta periculositate, quam declinandam monet fuga, tanquam unico ejusdem evadendæ medio. T. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes. Tunc, id est, quando & videritis

ritis horrendas illas templi & sanctuarii abominationes factas per
illationem statuarum, & variorum à seditiosis scelerum perpetra-
tionem; itemque demum ipsum exercitum Romanum, quando
scilicet coeperit urbem circumdare. Tunc videte, quòd appropin-
quaverit desolatio ejus: & tunc qui sunt in Iudæa, non solum in Je-
rusalem, sed & in cæteris civitatibus, oppidis, pagis terræ Israëli-
ticæ. fugiant in montes. non in urbes aliquas alias. Iansen. p. 838. reli-
ctis civitatibus. Franc. Br. prædicit enim Ierusalem & reliquas
civitates Israël plerasque omnes, minimè tutas fore, ut certè o-
mnes à Rom. obsessæ, expugnatae & vastatae fuerint, paucis ex-
ceptis. De quo Joseph. l. 1. de Bell. c. 1. & 3. Iansen. ad verba in montes
addit, quo ibi propter loci altitudinem & desertionem tuti sint. Contra
Brugensis: Non intelligit (inquit) Christus montes Iudææ, nam & illi à
Romanis expugnati fuere Jos. 3. de Bello c. 12. & 4. c. 2. sed (pergit)
ex vulgari fugientium consuetudine, qui ad montes vel loca invia atq; inac-
cessa se recipere solent, loquens Christus per montes intelligit loca tuta; si-
mul alludens ad illud Angeli præceptum ipsi Loth datum Genes. 19, 17.
Addit Mald. p. 488. loquitur enim, inquit, cum discipulis & hominibus piis,
quos vult sicut Loth Sodomorum, ita Ierosolymorum vastationem effu-
gere.

XLVII. Loca autem maximè tuta (pergit Fr. Luc.) fuerunt longissi-
mè à Iudæa distantia. Unde Christiani Hierosolymitæ Christi præcepto
parentes fugerunt in Pellam, oppidum regni Agrippæ, quæ est civitas Deca-
poleos ultra Iordanem. Epiph. hæc. 29. & 30. Euseb. l. 3. hist. c. 5. Adde
Eph. l. de mens. Niceph. l. 3. c. 3. Inimici Christi contra vel non fugerunt,
vel in civitates fugerunt Jos. 3. de Bello c. 4. l. 4. cap. 2. & 4. adeoque
qui in exteris regionibus degebant, Judæos maximo tunc numero
Ierosolymam convenisse refert. l. 7. c. 17. non enim servari hos voluit
Deus, sed, civitatibus tanquam carceribus conclusos ad mactandum paratos
habere. Iansen. & Mald. dd. 11.

XLVIII. Altera descriptio hujus miseræ est ab adjuncta cele-
ritate. Et qui in tecto ὀπί τῆς δαµατος in solario, id est, in superiore
ædium parte. Beza. Habent en. in ea regione recta plana, super
quæ versari & pleraque agere solent. non descendat. intellige non
absolutè sed comparatè scilicet, ut tollat aliquid de domo sua. Sed re-
lictis omnibus de sola fuga cogitet. Iansf. & quacunque ratione,
nullâ interpositâ morâ, sese eripiat. Mald. Loquitur itaque per
exagge-

exaggerationem ut inevitabilem & summam ostendat calamitatem. *Barrad.* Figurata & hyperbolica est ista locutio (quales sunt Hebræis frequentes) qua nihil aliud quam magna festinatio & ocyssima fuga, seu uti *D. August.* ep. 80 loquitur, festinatio fugæ suadetur. *Fr. Luc. Brug.*

XLIX. Et qui in agro. foris, sive colendi agri sive ambulandi in agris causâ *Franc. Luc.* Marcus habet *ἡ τῶν χωρῶν.* *Vulg. & Erasmus in regionibus. Beza in agris.* Videtur enim, inquit hic, Lucas hoc nomine intelligere hoc quidem loco villas, oppidula, prædia, ex quibus ferè solent sese belli tempore in munitiorem locum recipere. Non revertatur tollere tunicam suam. *Brugensis* inquit, in quibusdam Græcis libris est τὰ ἰμάτια, Interpretes ut *Regius* codex legit sing. τὸ ἰμάτιον tunicam vel pallium, quod servit fugientibus & itinerantibus adversus aëris injuriam. Hyperbole est, pergit, qualis superiori versu, ideoq; significatur utraq; extrema scil. adesse mala, quæ nemo non velit se vel nudum effugisse &c.

L. Amplificat porrò Christus eandem calamitatem. I. Imparum collatione. a. Prægnantium & Lactantium. T. *Væ autem prægnantibus & lactantibus in diebus illis.* *Origenes* hoc sensu prægnantibus & nutrientibus væ denunciari putat, quia tanta hostium crudelitas futura erat, ut ne prægnantibus quidem ac nutrientibus mulieribus parcerent, sicuti simile legimus 4. *Regum.* 8, 12. *Amos* 1, 13.

LI. 2. *Theophylactus* & alii conjiciunt, prædici hic fortassis illud etiam, quod mulieres in his malis comesturæ essent puerulos suos, ut ap. *Ios.* 7. de *Bell.* c. 8. *Eus.* l. 6. c. 6. id quod *Moses* prædixerat *Deut.* 28, 53 & seqq.

LII. Melius (inquit *Mald.*) *Hilarius*, *Chrysostom.* *Hieronym.* *Autor imperf.* *Euthym.* *Beda* & alii væ ipsidem dici putant, quia illæ uteri, hæ lactentium infantum onere gravatæ fugere non poterunt. *Siquidem* (addit *Ians.*) facile est pro salute pecunias & vestes contemnere. *feri autem levem & ad fugam expeditam, eam quæ in utero habet, aut abjicere infantem eam quæ lactat, prorsus impossibile propter naturæ vinculum.*

LIII. Sed quare his potius quam ægrotis, decrepitis & aliis invalidis væ dicit? primum quia beatæ haberi solent & benedictæ fœcundæ mulieres: deinde quia in maximis delitiis & securitate.

*Longa vobis
impedit fugam
væ.*



ritate agere solent, & in moderato bello his parci consuevit. Eas igitur prædicit nec à malis immunes fore &c. *Frant. Luc. Br. & Mald.* Plura infra quæst. 5.

LIV. β. Calamitarum præteritarum, futurarum & præsentium. T. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usq; modò, neq; fiet.* Tribulatio magna, Lucas qualem ejus species particulari recenset, dicens: Et cadent in ore gladii & captivi ducentur in omnes gentes. Non fuit. Nec in Sodomorum conflagratione, nec in Ægyptiaca servitute, nec in captivitate Babylonica, nec in Antiochi persecutione, nec aliàs. *Fr. Luc. Br.* Et quidem revera tanta fuit illa calamitas, ut ipse Josephus fateatur, omnes calamitates ab initio mundi non videri posse conferri cum his malis, quæ in Judæos magno impetu irruerunt. *in præf. libb. de B. I. imò omnem orationem tragicam clades illas facile superare. l. 7. de B. c. 8. Confer l. 6. c. 11. & 7. c. 17. ne putemus exaggerationis cumulo hoc dictum esse, ait Chrysof. hom. 77. in Matth.*

L V. Neq; fiet, & δ' & μὴ γένηται. Triplex negatio fortissimè negans, ut annotant *Erasm. Beza & Fr. Brug.* Hoc quidam secuti *D. August. ep. 80.* restringunt ad tribulationes populi Jud. Atqui credo (inquit *Fr. Luc.*) cum alijs absolutè veram esse Christi sententiam, intellectam de particularibus gentium ac regionum tribulationibus, (nam universale hominum totius mundi excidium, quale fuit tempore Noë & erit mundo finiente, cum omnes complectatur, alijs non confertur) nullam unquam regionem, nullam gentem passam fuisse aut passuram tantam tribulationem &c. Id autem omninò fatebitur (pergit) qui legerit historiam Josephi de Bello Jud.

LVI. 2. Amplificat adjunctà difficultate T. *Orate autem ut non fiat fuga vestra in hyeme vel Sabbato.* Pergit Dominus (inquit *D. Hunn. sup. h. l.*) amplificare & exaggerare magnitudinem impendentis periculi, necessitatemq; fugæ, quam accurato studio diligentiaq; suadet. Monet ergò ut Deum precentur, ne calamitatem illam vel hyberno tempore vel Sabbato reservet. Siquidem utroq; tempore fuga incommoda. Hyeme quidem ob frigus, pluvias &c. Sabbato autem existimabant Judæi veteri superstitione non licere justum iter conficere, ne quidem urgente necessitatis casu. Unde via quæ interest inter Oliveti montem urbemq; Hierosol. iter Sabbati nomi-

nominatur Act. 1. v. 12. Ita August. 1. r. quest. Evang. c. 39. Hieronym. Chrysof. Theoph. Euthym. Beda, Greg. hom. 12. in Evang.

LVI. Objiciunt Chrysof. Euthym. & Theoph. videri hac ratione Christum Sabbati observationem commendare, quam aut jam abrogaverat, aut excidii Ieros. tempore abrogatam volebat. Respondent iidem, ipsum cum Judæis ex eorum consuetudine & opinione loqui, qui etsi non debebant, prædicato jam Evangelio, Sabbatum tamen observaturi erant; bis reprehendendi, & quia superstitione tenebantur, & quia eâ impediti mortem effugere non poterant. Hac apud Mald. Confer Ians. sup. h. l.

LIX. Illustrat demum hanc calamitatem Christus Eventu detrimentoso sive effectu noxio, interitu scil. omnis carnis. T. Nisi decurtati fuissent dies illi. Supple ex Marco, à Domino, idq; non re ipsa (sermo est enim de re futura) sed æterno Domini decreto. Id est, nisi Deus decrevisset illud afflictionis tempus abbreviare, id est, brevius reddere, quàm Iudæorum culpa merebitur, & divina justitia severitas exiger. Fr. Luc. Abbreviatos dies, inquit Hieron. non secundum deliramenta quorundam, qui putant, temporum momenta mutari, nec recordantur illius dicti Psal. 119. Ordinatione tuâ perseverat dies. Nam & August. (ep. 80.) ad Hesyh. testatur fuisse qui brevios putaverint hos dies, quodâ cursu solis celeritate terminati fuerint; sed secundum temporum qualitatem sentire debemus, id est, abbreviatos non mensurâ sed numero, ut quomodo in benedictione dicitur Psal. 91. Longitudine dierum replebo eum; Sic & nunc abbreviati dies intelliguntur, ne temporum mora fides concutiatur credentium. Hac Hieron. ap. Ians. & Barrad.

LIX. Non fiet salva omnis caro. in eod. non servaretur est Hebraismus pro periret, id est, non evaderet salva ex istis cladibus. Omnis caro, ubi per Synec. partis caro pro homine, & iterum per Synec. generis homo pro Judæo ponitur. Beza. D. Hunn. sup. h. l. Non inficiamur, inquit, secundum literam hic de Judaicæ nationis excidio tractari hoc sensu: Tanta Judæos obruet afflictio, ita peribunt miserè, partim durante obsidione, pestilentia atq; fame, partim verò capta jam urbe, totius propè gentis interneccione stupenda, ut nisi Deus ipse propter electos adhuc in eo populo latentes, terminum ei malo præfigeret, flectendo animum Titi Ducis ad misericordiam, nemo quinquam ex tota gente servaretur.

LX. Sed

LX. *Sed propter electos breviabuntur dies illi.* Propter electos autem quos novit Dominus sequentium seculorum progressu ad fidem conversum iri, abbreviabuntur dies illius calamitatis. D. Hunn. & Fr. Luc. Nam non debemus ambigere, illo Judaicæ calamitatis tempore fuisse in populo illo electos Dei, quorum alii jam in Christum crediderant, alii credituri fuerant. August. ep. 80.

LXI. *Breviabuntur dies illi*, hoc modo scilicet inquit Bragensis, ut Romani citius evadant superiores, quam suis ac naturæ viribus evasissent. Ibiq; recenset Fr. Luc. celeritatem victoriæ Titi ex Josepho, quâ temporis brevitate (inquit idem) seu paucitate dierum factum est, quod Jos. scribit l. 7. de bell. c. 15. *ut Ierosolymis captis, infinita multitudo venierit, ex populo autem servati sint plusquam 40000. quo ex numero aliquos fuisse electos, non est dubitandum.* Et hæc de parte textus priori,

QVÆSTIONES DUBIÆ

EX HAC PARTE.

Quæstio I.

An abominatio desolationis Hierosolym. ad Pontificatum Romanum accommodari possit? A.

Quamvis secundum literam, omnium Interpp. consensu hoc primum textus nostri membrum de devastatione Hieros. atq; ita, ut evictum est, abominatio illa de signo desolationem antegressuro loquatur; ut ita, quemadmodum supra posuimus, tam à nostratibus quàm à Pontificiis reprehendatur Irenæus, qui *ἐπιπέρας* eandem de AntiChristo intellexerit: Tamen *διωτέρας* Christum etiam AntiChristum (AntiChristum & Papam pro eodem habemus, ut infra probabimus) subintellexisse, patet (α) ex plerorumq; adversariorum sententia, vid. Barr. Harm. l. 9. cap. 5. (β) ex arcta verborum sequentium cohærentia, incipientium à v. 23. quæ ipsorum etiam Pontificiorum consensu ad AntiChristi tempora referenda, uti parte 2. demonstrabimus, (γ) ex AntiChristianarum proprietatum cum Hieros. abominatione ejusdemq; desolatione convenientia, quæ consistit 1. in ipsa abominatione, hanc α de idolo aut statua aliqua interpretati sumus, stantem apud

apud propitiatorium in sancto sanctorum templi Hierosolymitani. Id rectè nunc intelligitur (a) de *Missa Pontificia*, loco unius propitiatorii sacrificii agni Dei erecta. Et sicut Christus abominationem Judaicam non præsentem sed futuram esse dicebat: ita hæc abominatio Pontificia sacris literis & omni Orthodoxæ antiquitati fuit ignota. (b) de *ἀγτολατρεία* Sacramenti, abominabilis certè est & impia illa Transsubstantiatio, magis autem abominabilis & impia hostiarum adoratio. (c) de *εικονολατρεία καὶ εἰδωλαλατρεία*, ubi concursus fit ad certas statuas, petitur ab hominibus mortuis auxiliū & salus, prorsus ut olim ab Hercule, Castore, Polluce, & similibus; coluntur & invocantur idola, quæ sunt posita in præcipuo loco in templis, & ad ea alligatur seu sanctorum seu Dei præsentia. β. Interpretati sumus abominationem Hierosolymitanam de *sceleribus Zelotarum*, qui sub recti specie eadem & gravissima quidem perpetrabant. Non minùs rectè id de vagis Sacrificulorum libidinibus intelligitur, quibus fornicari aut domi concubinam alere, atque adeo etiam nœchari, minus peccatum est, quam matrimonium contrahere: quod certè *βδέλυγμα* Deo & hominibus abominandum. γ. Sicut denique ex Luca diximus, intelligi Titum cum exercitu, qui postea ut caput belli sese super omnia extulit, vastando non solum urbem, sed & ipsum sanctuarium, sive sanctum sanctorum: ita abominatio rectè de ipso intelligitur Anti-Christo, stante loco unici regis CHRISTI, seseque caput & sponsum Ecclesiæ solius CHRISTI sponsa proficiente; atque sic verè abominatio est, omnia pia & sancta devastans, homo peccati, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur DEUS, sedens in templo Dei, 2. Thess. 2, 3. 4. 2. *In loco*. Fuit abominatio illa Hierosolyma & quidem in loco sancto. Licet itaq; in ipsa Judaica Hierosolyma non posita fuit abominatio Anti-Christiana (quod tamen adversarii urgent) tamen, quia alia & quidem spiritualis, secundum Paulum Galat. 4. est Hierosolyma, dicimus cum Hieron. Anti-Christum sessurum hic prædici, in templo Dei, quod est in Ecclesia, ut veriùs arbitramur. Est autem hujus sanctuarii fundamentum doctrina Prophetica & Apostolica; lapis angularis est JESUS CHRISTUS: Muri sunt Sacramenta ab ipso instituta: coarctantur muri unitate Spiritus Christi, & fidei in ipsius meritum: tectum est dilectio DEI & proximi,

C

proximi,

proximi, & in specie omnes ex fide resultantes virtutes Christiana. Qui itaque non tantum sanctuario huic abominanda sua idola impiissimorum dogmatum intulerit; sed & idem planè devastaverit, judicet quisq; quem secundum votum B. Lutheri Deus odio Papæ implevit. Exinde tertio de miseria judicandum, qualisnam ea fuerit, quæ tot millibus animarum sub hoc regno Anti-Christiano contigerit. Sed pergamus.

Quæstio II.

An Papa sit Antichristus? A.

Antichristi vox dupliciter accipitur. 1. *Generaliter* notat contrarium seu adversarium Christo, qui quoquo modo Christum oppugnat 1. Joh. 2, 18, 22, c. 4, 3. *Speciatim* verò significat eximium illum & insignem Christi adversarium, quem Ap. vocat *ἐπιτελειμενος*, hoc est, Christo oppositum: qui in vera Filii Dei Ecclesia, sub nomine & titulo Christiano Tyrannidem exercet ineffabilem, omni conatu veram Christi doctrinam & regnum extingvere moliens. 2. *Theff* 2, 7. cui viam stravere Anti-Christi generatim, dicti 1. *Iohan*. 4, 3. Papam verò hunc Anti-Christum esse sic probamus: Cuicumque convenit definitio Antichristi, is verissimè est Antich, Sed Papæ post tempora Gregorii M. convenit E. post tempora Greg. M. dico, quia hic ipse l. 6. ep. 30. expressè scribit: *Quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit.* Assumptionem probabimus, & quidem, quia argumentum hoc jam pridem fuse & diligenter à nostratibus pertractatum, brevissimè. Anti-Christus est 1. *homo ille peccati.* 2. *Theff*. 2, 3. 4. Papa non tantum ipse flagitiosè peccat, sed & peccata præcipit, jubens persequi Christianos, extingvere Evangelium, & scortari porius quàm frui conjugio Clericos. *Et Filius perditionis.* Papa ipse suâ impietate perditus & perdens infinita hominum millia.

2. *Mendax.* 2. *Theff*. 2, 9. Papa talis (α) in doctrina, de qua postea. (β) in fictione reliquiarum, miraculorum, visionum, colloquiorum Sanctorum (γ) subinde sibi contradicit, figitque leges & refigit. (δ) à foederibus & pactis temerè discedit. (ε) aliud verbis de se affirmat, aliud factis exprimit. Vocat se servum, & dominatur Imperatoribus,

3. *Bla-*

3. *Blasphemus Dan. 11, 36. Apoc. 13, 6. Papa talis est (α) in Deum,*
quando ab assentatoribus suis sese Deum appellari patitur. *c. satis.*
dist. 96. Glossa verbo declaramus. ad fin. c. Quum inter nonnullos. Extrav.
de V. S. vocat Papam Dominum Deum nostrum, (β) in Christum, cujus se
mentitur vicarium; & ejus personæ unitatem, negando realem
idiomatum communicationem, more Nestoriano dissolvit; offi-
ciumque & meritum ipsius insufficientis pro omnibus peccatis red-
dit. (γ) in S. Scripturam, quam vocat imperfectam, ambiguum,
literam mortuam, &c.

4. *Avuoc. Daniel. 11, 3. 2. Theff. 2, 4. Papa facit quod libet, nec,*
(α) si infinita animarum millia secum in infernum adduceret, li-
cet ei dicere, Domine quid facis? dist. 40. si Papa (β) derogare potest
verbis Pauli & contra ejus Epistolas statuere. Extrav. de Majorit. &
Obed. Et l. 1. Cerem. Pontif. c. 7.

5. *Avarus. Dan. 11, 39. Ap. 18, 3. Papa talis est juxta tritum illud*
Mantuan. Venalia Romæ
Templa, Sacerdotes &c.

6. *Diabolicæ doctrine de nuptiarum & ciborum prohibitionem studio-*
ssimus. Dan. 11, 37. 1. Timoth. 4, 3. De Papa hoc decantatissimum.

7. *In templo Dei (id est, Ecclesia Christi) sedens (hoc est, impe-*
rium exercens,) 2. Theff. 2, 4. Papa profertur Christi fidem, ejusq;
se jactat vicarium, & ovium pastorem; retinet S. Biblia, itemque
Sacramenta: vocat se summum Episcopum sive universale visibile
Ecclesiæ caput, Præsidentem omnium conciliorum, judicem omnium
controversiarum &c.

8. *In urbe magna septicolli. Dan. 11, v. ult. Apoc. 17, 10, 18, in*
tali Papa residet, quæ est Roma, de qua Virg. 2. Georg.

Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma,
Septem quæ una sibi muro circumdedit arces.

Propert. Septem urbs altijugis toti quæ præsidet orbi.

Et Tertull. in Apol. c. 25. p. 371. vocat populum Rom. septem col-
lium plebem.

9. *Divisâ jam quartâ Monarchia & fatiscente 2. Theff. 2, 7. Apoc. 13,*
11. 12. 18. Papæ convenit, occiso nimirum Mauritio à Phoca,
qui Bonif. III. concessit titulum, ut esset Episcoporum omnium
caput, sive Oecumenicus Episcopus; circa ann. Christi 606.

10. *Qui Christo ejusq; doctrine se opponit 2. Theff. 2, 4. Papa talis se-*
cundum

cundum omnia Carechismi capita. *a.* Quoad legem. Obœdientia legalis ipsi tantum est externa, quam renati perfectè præstare possint, perq; eam justificari: fingit varios Deos alienos, & modos divini cultus, invocationem sanctorum, venerationem imaginum & nomine Dei abutitur in exorcismis & consecrationibus: vim magicam attribuit verbo Dei: præcipit vota & juramenta contra Dei instit. in monachis & monialibus: negat fidem hæreticis servandam: pro verbo Dei proponit Legendas sanctorum, jubet audire Missas: absolvit liberos à parentum obœdientia, ingressos in monasterium; subditos à fidè erga Magistr. Clericos à subjectione erga Principes; ipseq; se extollit supra Imperatorem: instruit subditos ad interficiendum Magistratum: jure occidi dicit, qui resistunt ipsius Tyrannidi: prohibet conjugium: dispensare se posse dicit de omnibus gradibus etiam contra jus divinum: permittit concubinaturam. *b.* Quoad Symbolum Apost. Fiduciã in Deum in Sanctis etiam ponendam. Ilatuit: Christum negat esse unicum Mediatorem, cui adjungit Sanctos: solvit personæ unitatem; negat esse Mediatorem secundum utramq; naturam: satisfactionem pro peccatis particularem facit: justificationem ex operibus & meritis docet: Spiritum sanctum Romanæ sedi affigit: dubitandum de gratia docet: negat perfectam in hac vita R. P. quare fingit purgatorium &c. *c.* Quoad orationem Domin. sanctos invocare docet; exauditionem niti in intercessione sanctorum; dubitandum de exauditione. *d.* Quoad Baptismum, multis superstitionis ceremoniis eum commaculat; suo Confirmationis Sacramento in præstantia postponit: abutitur ad campanas. *e.* Quoad S. cœnam mutat eam in sacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis: fingit transubstantiationem: hostiam consecratam reponit, circumgestari jubet & adorari: Laicos calice privat &c. Vides Papam ἀντικείμενον esse τῷ Χριστῷ in doctrinâ?

11. Synceros Confessores crudeliter persequitur Dan. 11, 33. Apoc. 17, 6. De Papa testantur hoc non solum veteres historiæ, sed & nostri temporis horrendæ persecutiones in Hisp. Gall. Belgio, &c.

12. Ostendit se tanquam sit Deus. Dan. 11, 36. 2. Thess. 2, 9. Papa se ostendit Christi vicarium, Deum in terris juxta Bald. & d. 96. c. satisf. numen quoddam visibile: ejus potestas est suprema imò absoluta, quæ se extendit ad cœlestia, terrestria & inferna. &c.

13. El-

13. *Elevatur adversus omnem Deum, ibid.* tum propriè dictum v̄-
rum & unicum Deum, cuius verbum & ordinationes violat, de-
pravat, evertit: tum impropriè ita dictos Deos, Magistratum.
scil. h. e. Imperatores, Reges, Principes, quos pro arbitrio ex foliis
deturbat, damnat &c. Adde c. *Romani s. Nos promissis. de iurejur.*
in 6. & c. Tibi Domino. dist. 63.

14. *Deum Patrum suorum non reputat. ibid.* Papa quam Apostoli
& primitiva Ecclesia professi sunt sinceram religionem & cultum
rejecit &c. En convenientiam Papæ cum AntiChristo aptissimam.
Argumenta adversariorum contraria in ipsa συζητησι videbimus.

Quæstio III.

An. (*quia Christus Matth. 23. causam excidii Hie-
rosol. in eo ponit, quod noluerunt Iudæi congregari &c.*)
in viribus situm humanis posse velle, posse concio-
nanti Christo assentiri, posse morem gerere, ac se-
totum illi subdere? D.

Quantum sibi ex hoc loco sumant præsidium Pelagiani,
Semipelagiani & Synergistæ, pro attribuenda arbitrii humani liber-
tate, notissimum est. Sed resp. cum D. Hunn sup. h. l. Distingvendum
esse inter duplex velle. Quoddam enim est externum & pedagogicum, adhuc
in arbitrii libertate situm, quale est quod homo etiam absq. regenerationis
dono regit locomotivam, ingreditur templum, audire potest sacras conciones
vel aures obstruere; imò etiam libenter audire potest; quod Marcus Herodi,
Amos reprobatis Iudicis tribuit, ut & Paulus (Rom. 10.) iisdem aliquod
studium Dei assignat. Alterum autem velle est internum & spirituale, con-
stans assensu cordis seu fide. Atq. hoc posterius velle in hominis non regenerati
arbitrio positum minimè est, sed à Spiritus S. operatione dependet. Expro-
brat ergò Christus Iudæis non illud naturale NOLLE seu originalem ad va-
p̄iav, qua simul omnes post lapsum in rebus spiritualibus & salutem hominis
proximè attinentibus non possunt velle quid aut assentiri: sed actuale illud
nolle sive contemptum voluntarium reprehendit, quo ne quidem organo fidei
& conversionis extrema ratione uti, & Christum audire saltem absq. illis
præjudiciis suis sunt dignati, sed præconceptis erroribus indulgentes, Chri-
stum & Evangelium ejus confractè sunt aspernati.

Quæstio IV,

An liceat in publicis calamitatibus bellorum,
persecutionum, famis, pestis &c. per secessionem,
ad loca se recipere tutiora? D.

(a) Fecit ipse quod in hoc textu iussit Christus *Matth. 12, 15.*
Luc. 4, 30. Ioh. 6, 15. c. 7, 1. c. 8, 59. unde benè *Aug. Tract. 15. in Ioh.*
poterat quidem ille & presens ab istis non teneri, si nollet: non occidi, si nol-
let; quia poterat & non nasci, si nollet: sed quia in omni re quam gessit, ut
homo hominibus in se credituris præbebat exemplum: quia unusquisq; servus
Dei non peccat, si secesserit in alium locum, videns furorem forcè persequen-
tium se, aut quærentium in malum animam suam. Videretur autem sibi
servus Dei peccare si faceret, nisi in faciendo Dominus præcessisset; fecit hoc
ille Magister bonus, ut doceret, non quod timeret. Exempla in sacris ubi-
vis sunt obvia. Contrà Tertull. l. de fuga in persec. docet c. 4. fugien-
dum non esse, quia persecutio à Deo eveniat: fugientibus etiam
non suffragari præceptum Christi, cum alibi ad passionem fugæ
contrariam invitaverit, c. 6. 7. ipsum quidem interdum refugisse,
sed donec doctrinam suam impleret cap. 8. Resp. 1. rationem
simpliciter veram non esse, quippe quod morbi etiam à Deo eveniant
& hominibus immittantur; nihilominus tamen medicinâ, quæ
etiam fugæ rationem obtinet, sacris literis uti jubeamur: 2. ratio
laborat fall. à dicto sec. quid &c aliquando enim ad persecutionis
perpeffionem invitavit, ubi scilic. citra læsionem honoris Dei &
propriæ conscientiæ, fuga fieri non posset: aliquando verò etiam
fugere iussit Apostolos, persecutoribus scilic. simpliciter doctrinæ
repugnantibus, ne ipsis obstinaciter conversionis media repu-
diantibus, pericula amentur, & ita eò ipsò contra V. peccetur præ-
ceptum. 3. ratio opponit perseverantiam Christi post impletam
doctrinam. Sed resp. in passionibus Christi & Apostolorum,
respectu finis, magnam intercedere diversitatem, quippe quod
Christi passio simpliciter necessaria, horum verò non item.
(b) Capellenda autem tum in universalibus cladibus, tum in perso-
li persecutione, fuga, ut fiat citra læsionem honoris Dei, & propriæ
conscientiæ, citra desertionem officii & caritatis erga proximum.
Et quis credat (inquit August. ep. 280.) ita hoc Dominum fieri vo-
luisse

luisse, ut necessario ministerio, sine quo vivere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparavit.

Quæstio V. ex v. 19.

An conjugium damnandum? N.

Argumentati sunt olim ex hoc loco contra conjugium non solum hæretici illud damnantes, sed etiam ex Patribus nonnulli illi iniquiores. Ita enim Tertull. in exhort. ad castit. c. 9. Nubamus igitur quotidie & nubentes ab ultimo die deprehendamus, quo die adimpleritur væ illud super prægnantes & lactantes, id est, maritos incontinentia & c. Et fœdius adhuc multo Hieron. Væ prægnantibus. Non hic scorta damnantur, sed utero tumescentes: infantum vagitus, fructus atque opera nuptiarum. Sed laborat error ille 1. fallaciâ equivoc. Particula enim Væ est vel execrantis vel dolentis, vel minantis vel denunciantis malum & calamitatem vel temporalem vel æternam. Hoc loco autem non esse execrantis seu minantis æternum malum, sed tantum dolentis seu denunciantis temporalem calamitatem atque difficultatem, quam propter bellum Judææ experturæ sint prægnantes atque lactantes, ex scopo textus manifestum est. Non igitur hoc væ est condemnationis sed commiserationis. Quomodo nam malediceret Dominus conjugio à se ipso indicto & benedicto? Gen. 1, 28, Ps. 113, 9. 127, 3. 128, 3. 1. Tim. 2, 15.

2. Est fall. à dicto sec. quid & c. Verba enim Christi non simpliciter sunt accipienda de ipso vitæ genere, quod per se sanctum & benedictum est, sed secundum quid, de miseria scilicet & molestia tempore periculoso conjugibus expectanda atque subeunda. Adde Ier. 16, 1. Luc. 23, 29. 1. Cor. 7, 26.

3. Ipsi sibi contrariantur. Tertull. enim l. 1. ad Vx. c. 5. Cur Dominus væ prægnantibus & nutrientibus cecinit, nisi quia filiorum impedimenta testantur in illa die expeditionis incommodum futura? Hieron. in c. 24. Matth. Væ autem prægnantibus. Quia sarcinâ gravatæ fugere non poterunt. Adde August. serm. 20. de V. D.

De Posteriori.

Quod continetur vv. à 23, usq. ad 29. sex.

LXII.

LXII. Omnium, primò inter Interpp. controvertitur, ad excidiumnè Hierosolymitanum, an mundi consummationem, hæc verba referenda? Ita Fr. Brug. Tunc In illis (inquit) summe tribulationis diebus. Pergit explicare pericula temporis illius, quo Ierusalem cum Iudæa universa vastabitur. Hæc enim sententia, quam primam ex tribus B. Hieronymus memorat, nobis probatur, ut scilicet & locus hic intelligatur de tempore belli Rom. adversus Iud. quanquam alii pleriq; omnes transiunt hic fieri intelligant ad tempus medium inter Hieros & mundi excidium &c.

LXIII. Contrà Barrad l. 9. harm. cap. 9. hæc verba (ait) Origenes ad excid. Ieros. refert: refert etiam Abulensis & Salmeron: sed verisimilius est ad AntiChristi tempora pertinere. Nam tempore illo quo eversa est Ierusalem, à nullo Scriptore memoriae proditum est PseudoChristos aut Pseudopphetas miracula patrâsse talia ac prodigia, quæ possent in errorem ducere etiam electos. Imò nulla prodigia ediderunt. De AntiChristi (pergit) tempore interpretatur. D. Chrys. Theophyl. Euthym. Hil. Hieron. Jansen. c. 123. Postquam de his quæ &c. transit nunc ad differendum de his quæ ad adventum suum sunt præcessura, quæq; ad adventus sui signa & tempora pertinent. Mald. sup. h. l. Hæc dictio non idem, de quo ante Christus locutus erat, nec proximum significat tempus, sed quicquid inter Hierosolymitanam everisionem & mundi finem temporis interjacet. Sic c. 3. i. Evagelista dicit: In diebus illis venit Johan. Bapt. cum 30. post annis venisset. Transit ergò Christus à fine & excidio Judæorum ad finem mundi. D. Hunn. Hæc quæ sequuntur, indubiè pertinent ad novissima tempora. Paulò post: & hoc magis inde manifestum, quia post hæc immediatè subjungit Dominus v. 19. statim post afflictionem dierum illorum Sol &c.

I. LXIV. Ponit autem adventus sui & finis mundi adjuncta signa, PseudoChristos & Pseudopphetas. Quinam hi sunt, variant Interpp. Fuère complures ante & post excidium Hieros. qui sumpto sibi Messia nomine Judæis suasere seditiones, de quibus nonnulli hæc accipiunt. Tales fuère Judas Galil. sub Augusto Cæs. & Præf. Cyrenio. item Theudas sub Cuspido Fado. De quibus Actor. 5. Ioseph. 18. antiq. cap. 17. & l. 20. cap. 6. Trip. hist. l. 2. cap. 11. At isti fuère deceptores ante Christi vaticinium, qui loquitur hic de re futura.

LXV. Fuit Magus quidam Ægypticus sub præside Felice, qui congregavit 30000, virorum, ductans eos per desertum ad montem

montem Oliv. expulsurus Rom. Act. 21, 38. Ios. 2. de Bell. c. 12. sub
Hadriano Cæsare Bencochab multa Judæorum millia contraxit,
seleque Melsiam venditavit, qui omnes ad internecionem cæsi.
Euseb. l. 4. hist. c. 6. sub Theodosio Jun. idem tentavit Moses qui-
dam Cretensis. Socr. l. 7. hist. c. 37. Ios. 2. de Bell. c. 12.

LXVI. Fr. Luc. Brug. ad vocab. PseudoChristi. Qui mentientur se
esse Christum, eundemq; se jactabunt, promittent sectatoribus suis liberatio-
nem à malis & salutem ac felicitatem, & eam quidem corpoream ac mun-
danam, qualem Judæi à Christo expectant. Hi Principes fuere numero tres:
Eleazarus filius Sim. Iohannes fil. Levie, Simon fil. Gioræ, contendentes pro
principatu cum affectis. Cum enim persuasum tunc omnibus esset,
promissum S. Scripturis ex Judæa regem, eo tempore oriri debere:
quisq; illorum seditios Principum ratus, si Romanis potuisset
esse superior &c. Pro Christo Salvatore se gesserunt, operamque dede-
runt, tam ut Romanis resisterent, quam ut inter Judæos rerum
potirentur. Ios. l. 7. de Bell. c. 12. Deinde ad voc. Pseudoproph. addit
idem Brug. Singuli seditiosorum illorum Princ. adsciverant sibi Pseudopro-
ph. à quibus populo commendarentur Ios. l. 7. de B. c. 11.

LXVII. Sed alii, quibus hæc interpretatio non usquequaque
commoda videtur, existimant, hoc lignum poni tanquam rei post
excidium Hieros. futuræ, nempe finis mundi: atque (α) in gene-
re accipiunt de omnis generis falsis Prophetis & AntiChristis,
quotquot à temporibus ascensus Christi in cælos extitère, cum
suis affectis. Atqui in eum sensum scribit Hieron. super h. l. Habet una-
queq; hæresis vel certas mundi partes unde dicitur: Ecce hic, Ecce illic: vel
in occultis aut in obscuris conventiculis curiositatem hominum decipit: Mul-
ti erunt qui non credunt, Christum esse communem salutem omnium, sed
quorundam: unde dicitur, Hic aut illic. (β) Maxime verò de Pontifice
Romano &c. de quo postea ex D. Hunnio.

LXVIII. Describit autem PseudoChristos & Pseudoprophe-
tas Christus i. à LOCO, unde exoritur, surgent. scilic. è medio
Ecclesiæ cœtu. Ex vobis ipsis inquit Apost. exorientur viri docentes
perversa. Act. 20. 30. Surgent ergo, non vocati illegitimè venient,
current & non mittentur Ier. 23, 21. Notandū autem illud ἐγερθησονται,
quod Beza vertit, Excitabuntur. & in annot. Exorientur. ubi remittit
ad c. 11, 11. Matth. Johannes ἐγερθησονται Eras. Exortus est. Bez. Est sus-
citatus &c. (inquit ibi) malui servato genere passivo interpretari suscita-
tus est,

ius est, ut significetur hæc Dei organa peculiari quadam numinis voluntate
in hunc mundum prodire &c. Ita illo ἐπεφάνησαν significatur, Pseudo-
prophetas istos non tam pro suo ingenio, quam maligni Spiritus
impulsu suscitari & exoriri.

2
LXIX. 2. Ab adjuncta fallacia. Erunt enim PseudoChristi. Fr.
Brug. qui mentientur se esse Christum à Deo missum, & multò ante promis-
sum, me ut seductorem reprobaturi: Christum, inquam, se jactabunt, cum
non sint, imò cum sint adversarii Christi. Alii: Qui se vero Christo &
Messia præferent, veluti Turcicus Mahometus, vel pro ejusdem vicario, veluti
Antichristus Romanus, falsò venditabunt. Et Pseudopropheta. Fr. Brug.
verba paulò supra vide. *Sym* Rectius: Falsi doctores qui PseudoChri-
stis erunt inservituri, & vel falsam horum doctrinam propugna-
bunt & confirmabunt, vel aliam extra Christum consequenda sa-
lutis viam, ad decipiendos fallacijs suis incautos & simplices, mon-
strabunt.

3.
LXX. 3. Ab effectis. sermonibus scil. quos essent prolaturi.
Ecce hic Christus, ecce illic. Hoc loco (a) Staplet. in prompt. Cath. egregiè
se torquet amolendo id à Romanensium Ecclesia, & ad præsentem
(uti loquitur) hæreses accommodando p. 304. Ubi per totum tra-
ctatum tria ferè observanda. Primum est quòd PseudoRomanam Ec-
clesiam pro vera, Catholica & Orthodoxa habeat: sed qualis ea sit, in
prioris partis questione 2. de Antich. §. 10. vidimus. Catholicam se ho-
diè vocant Ecclesiam, sed non aliter, quàm Hierosolyma tempo-
re Esaiæ se sanctam nominabat civitatem, Judæi tempore Christi,
semen Abrahæ: non quòd essent, sed quod Majores eorum fuif-
sent, à quorum integritate & religione defecerant. II. quòd Ca-
tholicam Ecclesiam dicat à propagatione doctrinæ eodem tempore in univer-
so terrarum orbe sonantis. Sed si Catholicum foret, quod ubique,
semper, & ab universis maximè fuit creditum, & Catholica Eccle-
sia, quæ ubique existit: nonne Christi doctrina Catholica negare-
tur? quippe Christus cum suo grege declaratus fuit ἀποστολῶν γὰρ ὄντων.
Proinde illud duntaxat, quod universali Sanctorum & rectè cre-
dentium amplexu comprobatum fuit, Catholici nomine coho-
nestandum; nam quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia,
ut Concilii Nic. decretum c. 9, habet. Et hoc ad nostram γνώσις Lu-
theranam summo jure accommodamus Ecclesiam: de Papistica,
quæ maximè ἀντιδοξος & AntiChristiana, id neutiquam asseren-
dum.

dum. III. *Quod Lutheranam (ut vocat) id est, quam utpote veram & Apostolicam D. Lutherus professus est, religionem cum aliorum, qui à nobis exierunt, schismaticorum & hæreticorum, nim. Calvinanorum, Suenckfeld. Anabapt. & aliorum erroribus confundat.. Sed posteriores errores quicquam cum *γυνώως* Lutherana religione commune habere, non solum omnino negamus, sed & publica scripta polemica contrarium satis superque testantur.*

LXXI. (β) Ex his verbis Christi, *Ecce hic est Christus, ecce illic*, argumentatus olim *Carlstadius* & etiamnum nonnulli ex *Calvini Schola*, contra præsentiam corporis & sanguinis Christi in S. cœna, Sed resp. cum *DD. Heerbt. & Hunn. sup. h. l.* Christum hic non agere de cœnæ negotio, nec verba sua dirigere contra præsentiam suam, vel in Ecclesia vel in dominio omnium rerum; hæc namq; præsentia perspicuis Scripturæ testimoniis munita est: *sed de impostoribus ipsum agere, qui Messie nomen & dignitatem sumturi erant &c.* Qui verò in specie isti sint, paulò post videbimus.

LXXII 4. *à causis adjuvantibus. Edent signa & prodigia. Fr. Brug.* pro stylo hætenus usitato ad tres illos PseudoChristos principes, de quibus antea, refert. *Ians. p. 842. b.* præter Mahumetem & alios, nostris, ut loquitur, temporibus apud nos inter Christianos fuisse, qui stultissime se Christum esse mentiti, variis signis & prodigiis imposuerunt hominibus. *Inter quæ signa, ait, illud censeripotest, quòd apud eos rebaptizati post calicis cujusdam, ut dicitur, potionem, mox cum hominum admiratione scripturas sacras tenerent melius, quàm qui in eis assidue essent versati &c.* Sed omnium maxime (pergit) circa AntiChristi tempora implebitur &c. Et sanè adventus AntiChristi, id est, Papæ Romani erit juxta operationem *Satanæ*, in omni virtute & signis *2. Thess. 2, 9. Apoc. 13, 17. 14.* Ita *D. Hunn. sup. h. l.* Atq; hunc, inquit, suam doctrinam Antichristianam miraculis partim quidem verè editis, non autem divinâ sed diabolicâ virtute designatis, partim etiam confictis prodigiis, quæ tamen homines sibi persuadebant esse verissima, cunctis machinis stabilire sunt conati.

LXXIII. Amplificat autem miracula 1. *à quantitate.* Edent signa magna. 2. *ab Effiacia*, seductione scil. multorum, quæ tanta, ut, si fieri posset, etiam in errorem inducantur electi. Ex hoc *Barrad. p. 573.* ipsi *Fr. Brug.* qui ad PseudoChristos illos tempore vastationis Judaicæ accommodat, adversatur, dum inquit: *Tempore illo, quo ever-*

sa est Ierusalem, à nullo scriptore memoriae proditum est, PseudoChristos aut PseudoProphetas miracula patrassent alia, ac prodigia, quae possent in errorem ducere etiam electos, imò nulla prodigia ediderunt. Contra quae posteriora verba Fr. Luc. p. 395. ita: Licet de eorum signis nil scribat Iosephus, tamen par est credere, eos multa malis artibus esse operatos &c.

LXXIV. Quòd autem dicit: si fieri possit, non absolute & simpliciter intelligendum, sed ex hypothese, ista nim. conditione, quia Deus per Spiritum sanctum illos conservat, & ipsi verbum diligenter audiunt & precibus instant. Alioquin & ipsi electi quandoque in errores incidere possunt, sed in leviores, fundamentum non evertentes, vel si in damnabiles errores incidant, tamen in iis non persistunt, sed ante finem vitae abjiciunt. Rectè Mald. sup. h. l. Loquitur Christus non de quovis sed de finali, ut ita dicam, errore, nam saepe electi in errorem induci possunt, sed in errore mori non possunt. Ita D. Hunn. Omnino hæc est Domini sententia, impossibile esse ut penitus intercidat Ecclesia, quin subinde reperiantur aliquæ sanctæ reliquæ, aliqui electi & fideles, vel à cunctis erroribus immunes, aut certè ab erroribus, qui directè fundamentum evertunt, alieni, licet levioribus erroribus impliciti, aut deniq, qui in novissimo examine tentationis errorum suorum pœnitentiam agunt, & deflagrantibus opinionum erronearum stipulis, ipsi super rupe salutis Christo in omnem æternitatem salvantur.

LXXV. Huic descriptioni Pseudochristorum & PseudoProphetarum subjungit πρὸς αὐτοὺς, ne credant illis: Nolite credere. Sicut olim etiam monuit Dominus: Cum surrexerit in medio tui Propheta, & dederit tibi signum vel portentum, veneritq, quod locutus est tibi, dicenteamus post Deos alienos: Non obedies, Deut. 13, 1. 2. 3. erunt enim magistri mendaces 2. Pet. 2, 1. 2. 3. Spiritus erroris 1. Tim. 4, 1. nec sustinebunt sanam doctrinam 2. Tim. 4, 3. sed doctrinas Dæmoniorum 1. Tim. 4, 1. adde Col. 2, 23. 2. Tim. 3, 5. 2. Pet. 2, 14. 2. Tim. 4, 4.

LXXVI. Ecce prædixi vobis. Barrad. citat Aut. imperf. ut excusationem ignorantie tollat ab hominibus, prædicit Dominus, & ut præcedens contestatio justam faciat sequentem pœnam, misericordia enim est mandatis prævenire periculum. Benè Brugensis: Cum Jesus mox intelligendum dederit, electos seduci non posse, & nihilominus pergit monere suos, ut sibi sollicitè caveant, ne seducantur: docet non esse cuiquam (curiosè & præposterè) scrutandum, electus sit nec ne, sed vivendum sicut electos decet, & fugienda peccati pericula: quæ qui fugere non

non vult, eo fortasse quod si electus sit, perire non possit, satis loquitur se non esse electum.

LXXVII. Finem cur prædixerit, addit, ut scil. caveant. *Nolite exire, nolite credere.* cum repetitione sermonum Pseudopropheticorum: *Ecce in deserto est, ecce in penetralibus.* In deserto. Fr. Luc. Brug. stylo consueto *Simonem Gioræ filium intelligit, quem dicit ante seriam obsidionem Jerus. Romanis ob imperii negotia à bello cessantibus, in montanis desertisq; locis collecto exercitu multorum millium magna tyrannide Jerosolymitanos oppressisse, de quo Jos. l. 5. de B. c. 7. In penetralibus.* pergit Brug. *Templi penetralia & Eleazarum ac Iohannem Zelotarum duces prænotasse hic videtur Iesus, quorum ille prior, hic illo devicto posterior, occupavit etiam interiorem templi aditum.* Jos. l. 6. de B. c. 1. & 4. sed falsam esse hanc interpretationem, argumentum à tempore sumtum evincit, de quo supra.

LXXVIII. *Barrad.* ita accipit: *si affirmarint Messiam esse in locis publicis, quale est desertum: sive in locis abditis & occultis, qualia sunt domus penetralia, huiusmodi mendacia ne audiat &c.* Intelligit itaq; semper quidem de AntiChristo Barradius; interim tamen vero AntiChristo, qualis Papa ipse est, non applicat.

LXXIX. Sed rectissimè ad AntiChristum Papam accommodatur. Papistæ enim dicunt de suis hostiis inclusis: *Ecce hic est Christus, ecce in monasteriis apud Monachos & Moniales: in deserto apud Eremitas &c.* Ecce hic, ecce illic fiunt ingentia miracula! ibi te Deus libentissimè exaudiet; ibi (sicut ipsorum bullæ mentiuntur) consequeris plenariam indulgentiam. Omnia aptissimè huc congruunt. Ita D. Heerbrand: agit hic Christus de impostoribus, qui Messia nomen & dignitatem sumpturi erant. Et quidem (pergit) *quinam sint qui dicunt, Ecce hic est Christus, ecce illic &c. res ipsa loquitur, ipsi enim Romanenses, homines miseros salutis suæ consultum cupientes ad Monachorum otiosorum & ignavorum, Monialiumq; septa & claustra ablegant, Romam ad limina Apostolorum remittunt, Compostellam in Hisp. ad S. Jacobum peregrinari religionis ergò, jubent, aut mortuos opitulatores invocare præcipiunt, quorum meritis & suffragiis salutem consequantur æternam.* Et D. Hunn. Unde (inquit) liquidum emergit, *hac notatione designari Doctores regni Pontificii, qui Christum unà cum suis beneficiis alligaturi erant ad desertia loca: quod in Monachatu Papistico impletum esse manifesta experientia*

vientia palam edocuit. Etenim Monachi ut & Montales sunt illi Pseudo-Christi, qui quod Christus obœdientiã suã meritus est, ad se suaque opera secundum regulas humanitùs constitutas facta, transferre non sunt veriti, totamque Christi gratiam foris extra mundum, ut illi quidem asseverabant, in deserto in Cœnobio & horum penetralibus plus quàm alibi vigere, & per hypocritica illorum opera hominibus applicare sunt commenti. Hæc ille.

3.

LXXX. Nunc ipsam adventus sui ad iudicium formam describit: sicut fulgur exit &c. id est, secundum Brugensem, reditus meus ad iudicium non erit occultus, sed publicus omnibusq; per se manifestus, paulò post: non clancularius, non occultus, non uno certo sive urbis sive deserti loco conclusus, aut qui indicari aliis ab aliis debeat (quod & Barad. annotat) sed per se in toto orbe terrarum manifestus hominibus simul ad unum omnibus &c. Osiand. in annot. sicut fulgur uno momento totum cœlum illustrat, & quasi uno oculi ictu mundũ replere videtur: sic Christus glorioso suo adventu subito se toti mundo visibilem in maiestate ineffabili ostendet. Non ergò ante suum reditum in deserto vel alibi visibiliter a quoquam ostendi potest.

*De vultu sententia
& fulgure*

LXXXI. D. Hunnius de fulgure Evangelii restaurandi intelligit, restorationisque celeritate. Ita enim inquit: Spem facit electis us Christus futurum, ut ante novissimum iudicium lux Evangelii ex tenebris errorũ refulgeat, eaq; instauratio doctrinæ celestis incredibilis celeritate perficienda sit &c. Beza in annot. de fulgore accipi debet, non de celeritate,

LXXXII. Mald p. 491, culpatur hanc interpretationem, perque reformationem ibi pluribus agit sub fin. G. Ians. p. 844. adducit Origenem, Augustinum & Hieronymum, qui non de adventu ad iudicium, sed de spirituali eius intra Ecclesiam adventu intelligunt secundum quem Ecclesiæ suæ præsens est usque ad consummationem seculi; adventumque illum statim sub Apostolorum prædicationem incepisse ex Aug. dicit.

LXXXIII. Verum convenientissimum videtur statuere hunc locum *ἐπιπέρας* de ipso ad extremum iudicium adventu intelligendum esse; id quod suadent (α) usitatissima in Scripturis phrasis, *adventus filii hominis*. (β) textus & præsertim sequentium versiculorum cohærentia. (γ) interpretum consensus. *Δευτέρας* verò perquam egregiè etiam de reformatione & restauratione doctrinæ Evangelicæ, detectis abominationum AntiChristi tenebris, eundem

dem accipi posse. Et hoc modo ipse Ians. d. l. *Hæc autem* inquit, posterior totius hujus rei tractatio & explicatio (scil. de adventu spirituali) non dubium est, quin sit accommodatitia, neq; conveniens sensui à Domino principaliter intento, sed à Patribus contra hæreses accommodata. Prior enim loci hujus tractationem (scilicet de adventu ad judicium) explicare sensum à Domino præcipuè intentum patet &c.

LXXXIV. Ultimò subindicat futurum fidelium eventum: *Ubiq; cadaver, illic congregabuntur & aquile.* Ex Iob. 39. 33. desumpsisse videtur Jesus, inquit Fr. Br. & Mald. Hebræorum alii proverbium fuisse arbitrantur, quo significarint, haud magno studio esse opus ad conjungendum ea, quæ naturâ suâ conjunguntur. *ibid.*

LXXXV. Intelligit D. Hilarius hac sententiâ significatum, in quo loco terra sit Dominus venturus ad judicium, nempe quòd in eo loco, in quo passus est, & quo cadaver ipsius pependit in cruce, inquit Iansen. p. 844. Sic enim (Hilar.) scribit: *Ac ne loci quidem in quo venturus esset, essemus ignari, dicit: Ubiq; &c. Sanctos. de volatu spiritualis corporis aquilas nominavit, quorum congregantibus Angelis, conventum futurum in loco passionis ostendit. Et dignè illic claritatis adventus expectabitur, ubi nobis gloriâ æternitatis passione corporeâ humilitatis operatus est.* Hæc ille. Creditur (addit Ians.) enim judicium exercendum in valle Josaphat, qui est circa Hierosolym. de quo Ioël. 3.

LXXXVI. Sed Fr. Brug. ita: *Ne fulguris similitudo à Iesu allata præberet Apostolis occasionem apud se cogitandi: Quid nobis proderit adventus ille tuus manifestus, totiq; mundo è cælo & nubibus conspicuus, si non apparebis nisi fulguris instar, cujus apparitio momentanea est, & qualicunq; parvo tempore appareat, ut est terribile, omnes illud videre refugiunt. Propterea addit aliam similitudinem, qua docet, se electis suis non terribilem appariturum, sed amabilem, nec momento solum uno, sed sic ut ad ipsum accedere & conjungi, ipsiq; frui possint. Quemadmodum, inquit, aquila naturali instinctu conveniunt undiq; ad cadaver &c. ita vos electi mei, è morte redivivi, & ut aquila juventute renovati, simul atq; in nubibus apparvero, mox sentientes virtutem præsentis adventus mei, ad me tanquam vitam æternam & summum bonum vestrum undiq; ex omnibus mundi partibus, summo animi affectu anhelantes convolabitis, ut me æternum fruamini &c.*

LXXXVII.

ob

prov.

lun

LXXXVII. Ad id, quod alii etiam inter orthodoxos de volatu credentium ad fulgetrum illud (ut D. Hunn. loq.) reflorescentis Evangelii intelligunt, paulò antè responsum est.

LXXXVIII. *Cadaver.* τὸ πῶμα. Malè dixerit Beza corpus Christi propriè dici cadaver, reddens locum *Psal. 16. Act. 2. Non derelinques cadaver meum in inferno.* cùm ita hic dicatur non propriè sed allegoricè seu per similitudinem. *Cadaveri*, inquit Brugenſis, *se comparat Christus propter mortem, cuius signa, cicatrices inquam vulnerum, feret iudicaturus.* Benè Athanas. in *Passion. Salv. Ipse patiendo nihil detrimenti passus est, sed potius gratificatus est: & mortuus non mansit cadaver, sed potius cadaver vivificabit: & mactatus non interit, sed sanguine sue mactationis omnes simpliciter redemit.* Chrysoſt. in *Matth. Domini corpus cadaver (non est, sed) dicitur propter mortem ipsius & c.* Dicitur cadaver, hoc est, cadaveri comparatur.

LXXXIX. *aquile.* Dubium est, inquit Barrad. appellenturnè omnes homines hoc loco aquilæ, *an soli iusti?* Prius volunt Theoph. at Bez. Et ipse Mald. inquit: *hoc mihi videtur probabilius; significat enim Christus omnes homines ad locum, ubi ipse fuerit, ut iudicentur, convoluturos esse, sicut aquilæ ad cadavera convolare solent, itaq; velint nolint, illum videbunt* Huic sententiæ suffragatur & Abulensis & Barrad. p. 585.

XC. Contrariantur & rectè quidem Jansen p. 843. in fin. & Fr. Brug. qui statuunt solos electos intelligi, & convenire cum eo, quod est apud Paulum *1. Theſſ. 4, 17 Raviemur in nubibus obviam Christo in aëra.* Convenientiam inter aquilas & electos ibi afferunt notatu dignissimam ex *Iob. 39. 30. Esa 40, 31. Psal. 103, 5.* ibiq; Brugenſis Maldonatum & Barrad. refutat. huic e. *Reprobi, inquit, non aggregantur Christo sedenti in nubibus, sed relinquuntur in terra: nec sponte ferentur ad Christum, sicut aquilæ ad cadaver, sed inviti cogentur ad locum iudicii & c.*

QVÆSTIONES DUBIÆ EX

PARTE POSTERIORI,

Quæstio I.

An vera religio semper miraculis & olim confirmata, & adhuc hodiè confirmanda sit? N.

Ita quidem volunt Pontificii, nostram religionem propter miraculo-

rum (ut ipsi dicunt) carentiam (ex falsa scilicet illa hypothese , quod
nova sit , *ἐπιποδοξίας* arguendo ; suam verò ex miraculis (sed potissi-
mum partim fictis , partim simulatis , partim Diabolicis) perquam
egregie ostentando . Sed rem videamus . Et primò quidem non
negamus miracula esse fidei Evangelicæ velut sigilla quædam
& testimonia , Verùm distingvimus inter *fidem propagandam* & *pro-
pagatam* . Cum primùm propaganda esset inter Gentiles , miracu-
lorum dono ornabat Christus ministros suos ; non ex simplici ne-
cessitate , ac si aliàs Evangelium disseminari non potuisset , sed ex
libera Redemptoris voluntate , eum in finem , ut eò citiùs homi-
num animi commoverentur , præsertim cum doctrina Evangelica
leges Mosaicæ abrogaret , atq; sic quodammodo nova videretur .
Et huè pertinet illud *Ioh. 14, 12. Qui credit in me , opera , quæ ego facio ,
& ipse faciet* . Quòd autem post fidem propagatam & primorum
seculorum miraculis satis confirmatam , novis opus sit prodigiis ,
aut quòd Deus sub finem mundi excitaturus sit aliquos Docto-
res miraculorum dono claros , nullibi in Scripturis legimus . Imò
contrarium extat , fore nimirum AntiChristi & Pseudopropheta-
rum notam jactare miracula . Ita enim Christus in hoc nostro Ev-
angelio . *Edent signa magna & prodigia &c. 2. Thess. 2, 9. Adventus An-
tiChristi erit secundum operationem Satanæ in signis & prodigiis &c*
Quare cum ultimo mundi tempore hæretici sua dogmata mira-
culosa sint palliaturi , ideò ex iis non debet fieri iudicium de reli-
gione . Præterea nec fuerunt semper miracula perpetui comites
veræ doctrinæ : nam multi extitère Doctores sinceri , qui nulla
ediderunt miracula . Nihil enim legitur de miraculis Jeremiæ ,
Joëlis , Oseæ & Amosi . Sic Johannem Bapt. nulla signa edidisse
constat ex *Johan. 10, 41* . Ita sequentibus seculis quot sancti Pa-
tres , quot puri Doctores vixerunt , qui verbum Dei sincerè expli-
cuerunt , nulla tamen ediderunt miracula ?

Quæstio II.

An religio Papistica verè sit Catholica ? N.

Suprà in thesibus contra Stapletonum aliquid attulimus . Sed
jam aliquantò expressiùs res declaranda . Argumentantur Ponti-
ficii contra nos ex illo , quòd hæretici dicant , *Ecce hic est Chi-
stus &c.* se propterea veros esse Catholicos , quod eorum religio
E late

latè disseminata sit. Verum videamus. τὸ καθολικὸν igitur idem est quod universale; ideoq; fides Catholica nil aliud notat quàm fidè universam vel universalè. Est autem duplex veræ fidei universalitas, altera externa, altera interna. Illa respicit circumstantias, nimirū 1. ubi. 2. apud quos. 3. quando doceatur. Unde triplex universalitas emergit. 1. LOCI. Non enim alligata est Christi religio ad certum quendam locū, sicut in V.T. sed ab Apostolis fuit olim disseminata in universum mundum, & etiamnum prædicatur in omni loco, in quo lux Evangelii rursus est accensa. 2. Aetatis, sexus & conditionis, nemo enim excluditur Gal. 3, 28. 3. Temporis. quia vera fides à Christi & Apostolorum tempore semper in Ecclesia fuit & permanebit etiam usque ad extremum diem. Interna verò universalitas respicit scripturæ Prophetica & Apostolica. Vera enim fides omnia comprehendit & credit, quæ docuerunt Prophetae & Apostoli, neque quicquam asserit, quod Dei verbo sit contrarium. Et hoc sensu Catholicum idem est quod Orthodoxum: hæcque principalis τῆς Catholici significatio est, quæ propterea ante omnia attendenda, si religio aliqua non tantum dici, sed & esse Catholica debeat. Jam religionem Pontificiam conferamus. Pontificii fidem Romanā ideò Catholicam asserunt, quia per totum orbem diffusa extendat se ad omnia regna, ut latè gloriatur Staplet. Prompt. Cath. sup. hoc Evang. Sed resp. committi fall. Divisionis. Non enim ea, quam externam nominavimus, universalitas tantum, sed interna, quæ est convenientia cum S. Scripturis, principaliter fidem constituit Catholicam. Si enim Catholicum idem esset quod latissimè patens & diffusum, tum Catholicus fuisset Arrianismus, imò & Epicureismus, & sic peccatum esset καθολικώτατον Rom. 5. Quando ergò nos dicimus, universalitatem loci pertinere ad fidem Catholicam, non est iste sensus, ac si vera fides non sit, nisi in omni loco terrarum publicè doceatur, & à plurimis recipiatur: verum præcipuè intelligitur de prima Apostolica fidei prædicatione (quæ facta est ἐν ἅπασιν τοῖς ἔθνεσιν) & libera Evangelii propagatione, quia illud non est adstrictum ad certum quendam locum, sicut vera fides in V. T. tantum in Judæa sonabat. Si universalitatem temporis opponant Pontificii. Resp. 1. falsum esse Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ temporibus dogmata Papistica floruisse. 2. & quamvis omnibus extitisset seculis religio Pontificia, nil tamen probaret. Nam

Nam & Ariana hæresis statim cœpit post Christi ascensionem, & hodieque durat. Concludimus, licet triplex illa externa universalitas conjunctim reperiatur in aliqua religione, & tamen desit interna; illam non esse veram & Catholicam. In Pontificia licet prior universalitas reperiri fortè posset, & cum tamen desit posterior, id quod supra in 1. part. q. 2. §. 10. probavimus. Utiq; Catholica Ecclesiæ titulo gaudere ea nequit.

Quæstio III.

An Ecclesia semper sit visibilis? N.

Staplet. d. 1. ad illum hujus Evang. versum, *Ecce in deserto, ecce in penetralibus &c.* nostram Ecclesiam hæreticam arguit, suam contra Romanam ostendit ejusdemque splendorem & fulgorem: Quare continuam visibilitatem veræ Ecclesiæ ibi acriter defendit. Sed duplex est Ecclesiæ splendor: alter *internus*, consistens in fide, spe & caritate: dicitur etiam *electionis*. Unde Ecclesia *Invisibilis*. & hæc Ecclesiæ facies formam internam, interioremque in homine fidem, integritatem & electionem concernit, quæ sanè nullo sensuum constant & discernuntur judicio, sed solius divinæ omniscientiæ majestate verè & perfectissimè notantur atq; discernuntur. 1. Sam. 16, 7. Jer. 17, 10. 1. Reg. 8, 39. Jer. 5, 3. Job. 10, 14. 2. Tim. 2, 19. Apoc. 2, 19. & hæc Ecclesiæ forma *invisibilis* est & essentialis, ac perpetua. Alter *externus* est splendor, positus in frequentia hominum, absentia persecutionum, ministerio publico, & quieta administratione sacrorum &c. dicitur etiam *Vocationis*. Unde Ecclesia *visibilis*. De hoc dicimus, quòd sit *supra mundum* & accidentalis, ac temporalis. Quamvis enim Ecclesia Christi nunquam tota intereat, attamen tanta potest esse persecutio, ut visibiles Ecclesiæ deficient, hoc est, ut non reperiatur cœtus quispiam conjunctus in una civitate vel integra natione, ubi sint pastores publici, verbum Dei purè docentes, & Sacramenta legitimè administrantes, sed potius Christiani necesse habeant dispergi, fugere in deserta, & latitare in cavernis, sine loco quodam communi, in quo conveniant, & cultum divinum sine periculo perficiant. Hanc contra mutabilitatem & statum Ecclesiæ à nobis dictum accidentarium Pontificii cœtus & agminis sui Pseudo-Catholici splendorem

E 2 osten-

ostendentes, sibi imaginantur Ecclesiam semper debere visibilem
& palpabilem esse, ut ab omnibus cognosci queat, *qualis est cœtus
populi Romani, vel regnum Galliæ, aut Respub. Venetorum, ut loq. Bellarm.
l. 3, de Eccl. c. 2.* Sed contrarium satis firmiter probari potest. 1. ab
Ecclesia Israëlitica tempore *μαχολατρείας Exod. 32.* Ibi totus popu-
lus exercebat idololatriam, adorando vitulum, neque tum aliquis
erat cœtus integer & conspicuus Deum sincerè & publicè colens,
licet procul dubio inter Israëlitas aliqui fuerint, quibus illa idolo-
latria displicuit. Tum ergò Ecclesia non fuit visibilis. 2. ab Ec-
clesia Israëlitica tempore Eliæ & Achabi *1. Reg. 19.* Si enim Eccle-
sia semper esset conspicua, certè Elias vidisset illa 7000. piorum,
nec conquestus fuisset, omnes de fecisse, & se solum superesse. Ad-
de statum Ecclesiæ tempore Manassis *2. Reg. 21.* item tempore pas-
sionis Christi, &c. 3. à divinis prædictionibus, quales sunt (α)
Luc. 18. 8. de fide (non miraculosa sed salvifica, ut patet ex collat.
Matth. 24. 11. & 12.) vix reperienda. (β) *2. Thess. 2. 3.* de *παρουσία* non
ab Imperio Rom. sed a fide *1. Tim. 4. 1.* (γ) *Apoc. 12. 6.* de muliere
fugiente in desertum. (δ) *Apoc. 13. 3. 7. 8. 16. 17. &c.* Inferant inter
alia, Ecclesiam esse supra montem sitam. *Matth. 5. 14. Ps. 46. 5. &c.*
& propterea semper visibilem. Resp. plus concludi quam oportet.
Nam (præter id quod *illo versu cap. 5. Matth.* Christus potius
agat de causis illuminationis & conversionis hominum instrum-
entalibus, vv. verò item seqq. de veræ fidei efficacia in bonis
operibus) concedimus Ecclesiam dici posse civitatem ædificatam
super montem, seu super lapidem illum qui sine manibus de mon-
te abscissus, factus est mons magnus, & implevit universam ter-
ram *Dan. 2. 33. 35.* id est super Christum, propter quem etiam
omnium oculos in se convertit, ut loq. *Chemnit. l. 3. Harm. p. 347.*
Sed inde non sequitur, Ecclesiam semper esse visibilem, aut ita
visibilem & palpabilem, ut est cœtus populi Romani, aut Respub. Veneto-
rum &c. Quin (ut simile ipsorum retineamus) quemadmodum
interdum tam densæ oriuntur nebulæ, ut ne montes etiam maxi-
mi cerni possint: Ita etiam Ecclesia tempore persecutionum
quandoque eò angustia redigitur, ut vix ac ne vix quidem cerni
possit. ut præter antè allata exempla præsertim tempore Eliæ, &
ipsius montis (Christi) super quem sita est hæc civitas, Exinani-
tionis status & *ιλάσεως* ostendit, in quo ipse infirmus erat, nec
semper:

semper apparebat ejus majestas, quod benè notandum. Reliqua
ἐν σὺντησει.

Quæstio IV.

*An electi fidem & Spiritus inhabitantis gratiam per
mortalia peccata excutere possint? A.*

Ad majorem explicationem præmittendæ duæ distinctiones.
I. inter *Renatos & electos*. Quamvis enim hæc duo quandoq; con-
venient in uno subjecto, non tamen semper id contingit. Dantur
renati, qui tamen ob prævisam finalem impœnitentiam sunt re-
probati. Sic dantur electi, qui tamen aliquo tempore non sunt
renati. Causa verò est, quoniam renati æstimantur ex fide præ-
senti, sed electi, ex fide finali. Quia ergò multi sunt *ὑποστυγῶν*
& ad tempus credunt, adeoque renati sunt, post autem vicissim
deficiunt, hinc non omnis renatus statim est electus. Et quia non-
nulli in fine agunt pœnitentiam, adeoque electi sunt, hinc non
omnis electus semper & omni tempore est renatus. II. Inter
Excussionem fidei & gratiæ *totalem & finalem* illa est, cum fides
justificans & donum renovationis ex toto perditur, adeoque ex
filio gratiæ fit filius iræ: hæc, cum non tantum amittitur
fides, sed etiam nunquam recuperatur, verum in infidelitate
ex hac vita migratur. Hinc dicimus, quod renati possint
tum totaliter tum finaliter fidem excutere. Quo ad electos
verò, concedimus, quod finaliter illi non perdant fidem, sed in
termino vitæ certò credituri sint, quia per hanc finalem fidem
prævisam eos ab æterno elegit Deus: Interim tamen, si mortali-
ter peccent, gravioribusque sceleribus indulgeant, adeoque fidem
salvificam totaliter ipsos excutere statuimus. Probamus id, præ-
ter expressa Scripturæ testimonia ex ipsius Aaronis, imprimis *Da-
vidis* exemplo. Dicant Calviniani de eo, quod fidem & Spiritum
sanctum hic non amiserit. Et ego respondeo: ipse fuit homi-
cida & adulter, atque sic secundum carnem vixit: *qui autem secun-
dum carnem vivit, moritur Rom. 8, 13. & omnis homicida non habet vitam
æternam in se manentem. Iohan. 4, 15. adulteri etiam partem non habent in
regno Dei Ephes. 5, 5.* Ergò David verè excussit Spiritum sanctum.

E. 3.

Nec:

Nec obstat, eundem non amisisse S.S. propterea quod oraverit Ps.
51. ne ipse à se auferatur. Nam ista precatio facta est post poeni-
tentiam, ubi vicissim Spiritum sanctum prius excussum recupe-
ravit. potiusque confirmationem & augmentum donorum spi-
ritualium completitur. 2. Petri abnegantis Christum, Erat is
certè renatus, uti patet ex illo *Matth. 16, 17.* eratque certò electus,
de quo nemo unquam dubitavit, præsertim cum Christus dicat fi-
dem ipsius non finaliter defecturam esse. Et tamen tempore ab-
negationis gratiam Dei excussit; quia *qui negat Christum, vicissim
à Christo negabitur Matth. 10, 21. & quicumque non est Christi, quales eun-
dem abnegantes sunt, Spiritum Christi non habet Rom. 8, 9.* Et quo-
modo potuit Petrus fidem habere in Christum, quem abnega-
vit? Fidei forma est Christum apprehendere *Ioh. 1, 12.* Contrarium
Petro adfuit. Præterea ipsi erat novâ conversione opus, ut in-
nuitur *Luc. 22, 32.* Ubi verò novâ conversione opus est, ibi præ-
cessit averfio. Argumentorum adversariorum solutionis sum-
ma ferè hæc est, quòd tum promissiones de custodia justorum,
limitatè intelligendæ sint, inclusis sc. mediis; tum renati & iusti
vocab. reduplicativè accipiendum, quâ sc. renatus & iustus, &
quâ talis manet: tum denique distingvendum inter defectionem
totalem & finalem, Sed in collatione pluribus.

Quæstio V.

An Electi finaliter peccent? N.

Ita certè secundum illum hujus Evangelii versum de Electis,
nobiscum negant quidem Calviniani, sed non ex eodem funda-
mento, quippe absolutum illud impossibilitatis decretum profe-
rentes; sed tale quippiam S. literæ nesciunt. Proinde negamus ex
absoluta & fatali necessitate electos conservari & salvari, quasi
simpliciter impossibile sit, ut pereant, quicquid etiam agant; sed
infallibiliter eos salvari dicimus. Negamus item impossibilitatis
istius causam esse perfectionem summam electorum, sed veram
causam statuimus I. *Dei virtutem*, electos in fide ad salutem cu-
stodientis *1. Pet. 1, 5.* II. *Christi precationem* pro perseverantia &
salute electorum *1. Ioh. 17.* III. *Christi potestatem*, cui nemo potest
oves rapere ex manibus suis *Ioh. 10, 28.* IV. *Decreti divini firmita-
tem* *2. Tim. 2, 19.* V. *Præscientiæ infallibilitatem.* Et lubenter hos
con-

concedimus, electos ratione imperfectæ renovationis taliter esse comparatos, ut possint, quantum in ipsis est, finaliter labi & perire; minimè tamen actu excidunt aut pereunt. Id quod Christus (præter alia quamplurima Scripturæ dicta) hoc in nostro Evangelio asserit voce *si possibile esset*. Quare notandum est, quòd non tam de potentia quàm de actu sit controversia. Etenim ex parte electorum concedimus potentiam, quod possint perire, nisi conserventur à Deo.

Dissentientes verò Huberiani statuunt, quòd multi non modò possint errare, sed etiam ipso actu pereant. Colligunt ergò ex illo hujus Evangelii versu, *nisi abbreviati fuissent &c.* etiam electos gratia Dei & totaliter & finaliter excidere posse; (si enim nulla caro salva fieret, nec electi Dei salvi fierent, & per conseq. perirent) Resp. per inversionem: Nisi dies abbreviarentur, tunc non salva fieret omnis caro, & tum electi possent perire. Jam verò, dicente textu, propter electos abbreviati sunt dies. E. factâ dierum abbreviatione actu amplius non peribunt, nec perire poterunt &c.

Quæstio VI.

An electio sit immutabilis? A.

Ad veram explicationem eruendam seponendæ sunt vocabulorum prius ambiguitates. *Electio* enim significat quandoq; *vocationem* Dei, quam alii dicunt *electionem temporalem* seu *gratia*, cum aut totus populus aut singulares personæ convertuntur &c. De hac Deut. 7, 6. 7. Psal. 47, 5. 132, 14. Esa. 41, 8. 1. Pet. 2, 9. 1. Thess. 1, 4. Hoc igitur paulò generaliori sensu si accipiatur electio, mutabilem eam esse concedimus. Nam ut antè demonstratum, dilecti Dei sæpissimè mortaliter peccant, imò prorsus à fide deficiunt & reprobi sunt. Videamus in specie mutabilitatem hujus electionis in Judæis, de quibus Paulus multoties in ep. ad Rom. Deinde verò specialiter & propriè est *Electio æternum illud Dei decretum de salvandis in fide perseverantibus*. Hanc immutabilem dicimus, hoc est, impossibile esse, ut ex electione quis excidere, & ex electo reprobus fieri possit. Id quod contra Huberum probant Scripturæ dicta 1. quæ testantur, omnem propriè electum certò salvari Dan. 12, 1. 1. Ioh. 10, 27, 28.

27. 28. 29. Rom. 8, 38. 39. II. quæ agunt de electione secundum præscientiam facta 1. Pet. 1, 2. Rom. 8, 29. c. 11, 2. Unde deducimus hoc *πρὸς*: Nulla est electio quàm ea quæ secundum Dei *ὑποψίωσιν* facta est. Respexit autem in eligendo aut fidem omnem omnisq; temporis aut fidem tantum perseverantem & finalem. Non omnem, omnisq; temporis, nam aliàs *ὑποψίωσι* forent electi, & sic salvarentur, quod falsum jam demonstravimus. E. III. quæ certum electorum esse numerum dicitant Luc. 10, 20. Ioh. 10, 14. c. 13, 18. 2. Tim. 2, 19. non tamen ob absolutum quoddam decretum, sed propter certissimam Dei prævisionem. Hinc August. *Hæc de iis loquor qui prædestinati sunt in regno Dei, quorum ita certus numerus, ut non addatur eis quinquam, nec minuat ex eis &c.* His omnibus positis, colligitur Quod ex electo non possit fieri reprobus.

Argumenta Huberiana pro mutabilitate electionis eò ferè omnia recidunt, ut vel confundant aut Electionem latè, & propriè sic dictam: aut renatos, & electos quat. electi: aut *ὑποψίωσιν*, & ad finem perseverantes: aut gratiam sanctificationis, & electionis. Vel finaliter peccare electos dicant, quod contra præiens Evangelium.

Quæstio VII.

An quis è libro vitæ deleri possit? N.

Quamvis hæc quæstio eadem sit cum antecedente: tamen ob ipsius vocabuli (Libri vitæ) & textuum quorundam Biblicorum de eodem, pro electionis mutabilitate ab Hubero adductorum explicationem, & peculiariter de ea agere visum fuit. Et ut linquamus disceptationes Patrum & aliorum, de eo, quisnam scilicet sit liber ille, dicimus *Librum illū vitæ*, per Meraph. sic dictum, esse catalogum salvandorum, quos Deus ex gratia propter meritum Christi perseverante fide apprehensum & ab æterno prævisum ante jacta mundi fundamenta elegit. Dicitur *vitæ*, propter terminum sive finem factæ scriptionis, qui nullus est alius quàm salus & vita æterna. *Inscriptio* nil aliud est quàm Electio, eaque non absoluta sed in merito Christi fundata. De hoc itaque libro quæritur, An quis ei inscriptus, iterum deleri possit? satis responsum est in duabus antecedentibus quæstionibus. Jam Scripturæ dicta, quæ contrarium velle videntur, explicabimus,

Primus



Primus locus extat Ex, 32, 32. *Aut dimitte ipsi hanc culpam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti.* Cui resp. Dominus v. 33. *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* In hoc dicto multum sibi præfidii collocat Huberus, certissimè electionis mutabilitatem elici inde posse fingens. Sed fallitur. Nam antequam quid statuatur & statuendum sit, videamus, ipse prius probet, quod hic locus de libro vitæ propriè ita dicto agat, cum non addatur restrictio, sed simpliciter Liber appellatur. Dubium ergò est de qualinam libro is intelligendus. (α) Eorum ergò, qui de alio quàm vitæ libro intelligunt, quidam accipiunt de libro vitæ temporalis, quod scilicet Moses mortem citiùs subire, quàm interitum Israëliitarum coràm intueri voluerit. Consentit Hieron., 2. Quidam exponunt de libro Heroum. 3. Quidam de libro gratiæ, non verò futuræ gloriæ, qui liber electorum est. Ut sit sensus: Deus subtractionem gratiæ & deletionem populi minatur; Moses intercedens ait: *Aut dimitte, aut me dele, h. e. mihi potiùs gratiam tuam subtrahere, meum nomen ex libro amoris & favoris tui expunge, fratrum meorum loco ego rejectus & à gratia tua separatus esse volo.* (β) Alii, quibus magis probatur, quod de libro vitæ propriè sic dicto intelligenda hæc verba, dicunt ea hypotheticè accipienda esse, quod scilicet Moses non petat deletionem ex libro vitæ absolutè, sed cum conditione, si nimirum Deo placeat, & si possibile sit, ut quis iterum deleatur. Ita Paulus Rom, 9, 2. *Charitas enim exuberans optat etiam impossibilia,* inquit Luth. Eadem hypothesis etiam subintelligenda est in responsione Dei. Prout enim Moses petierat, ita respondit Dominus: *illum delebo &c.* ut sit sensus: *si quem deleturus essem ex libro meo, tum illum deleberem, qui peccaverit, non innocentem &c.* Quæcunque jam harum sententiarum acceptetur, omninò statim corrui argumentum Huberianum, exinde desumptum, videantur & sequentia.

II. Locus extat Plal, 69, 29. *Deleantur de libro viventium, & cum iustis non scribantur.* Quidam interpretantur per regulam illam Theologicam: *Quandoq; verba affirmantia ponuntur pro contrariis negatiua.* Et hoc modo posteriora verba sunt ἐξωνυτικὰ priorum, ita ut deleri sit idem quod non scribi, 2. Quidam distinguunt inter inscriptionem κατ' ἀλήθειαν & κατ' ὄψιν. Qui libro vitæ ab æterno per prædestinationem verè adscripti sunt, nunquam delentur. Qui autem sibi vel aliis signati videntur in isto libro, hi deleri dicun-

F

tur,

tur, cum vanam falsamque fuisse illorum spem, aliorum opinionem, luculenter ostenditur. Ut ita sit sensus Davidis: Deleantur de libro viventium, id est, per poenarum, quas meruerunt, irrogationem omnibus notum fiat, nunquam istos in catalogum electorum relatos fuisse, ut maximè hoc ipsum jactitaverint, aliisq; persuaserint.

Reliqui si qui sint loci, ex hisce solutionibus facile explicari possunt. De quibus fortè in ipla συζήτησι. Concludo cum Aug. l. de fide ad Petrum. c. 35. Firmisimè crede & nullatenus dubites, omnes quos ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei, prædestinavit Deus, perire non posse.

*Propositiones quædam erroneæ collectæ
è Postill. Pontif.*

- I. Potuerunt in tribulatione Hierosolymitana & electi quidam fuisse mortui, verū non alii quam qui fide, spe & charitate instructi jam re ipsa digni essent vitā æternā. *Franc. L. Brug.*
- II. Montes viri sunt sanctitate præditi, qui inter alios sic eminent, ut inter valles eminent montes. ad hos montes fugiat qui has abominationes cernit. *Barrad. in Moral sup. 1. partem, hujus Evang.*
- III. Romanam dico Ecclesiam montem montium, Ecclesiarum caput, veritatis magiltram. *Barrad. ibid.*
- IV. Ecclesia Romana mons est Dei, in quo beneplacitum est Deo habitare. *ibid.*
- V. Etenim sedes Dei est usque in perpetuum, in ea Christus per se invisibili modo, per vicarium suum summum Pontificem visibili habitat. *ibid.*
- VI. Visibilis est Ecclesia maximè quoad summum ejus Pastorem. Nam de Ecclesia super summum Pastorem ædificanda Christus loquebatur dicens: Portæ inferni non prævalebunt adversus eam. *Staplet. P. C.*
- VII. Non sufficit prælucere doctrinam novam & inauditam, (sicuti nostram vocat) nisi miraculis confirmetur. *ibid.*

WIII. Christus ad eum quoque nos astringit, cui dixit, Pasce
oves meas, & sic ad Romanæ sedis primatum disertè nos
astringit, quia in illa sola sede ille usque hodiè sedet, qui
Petri locum tenet, cui pascendas oves suas per universum
mundum concedidit. *Ibid.*

Dn. M. Andreae Merckio
Autori & Respondenti.

Totus es in Svadae stabulo, dulcissime Mercki,
Et Sophia alba tibi mulctra dedit Charitum;
Hæc Pertho furata fuit tuo & indidit ori,
Hinc quoties loqveris, lac fluit ore tuo.
Euge time, Charites resciscunt, immò reclusum
Te Ore ligare volunt carcere Sionidum.
Fama tibi licetor, te lis habet aurea, vincla
Millevole laudes suppeditare queunt.
Siquid præterea restat, dictabit in aurem
Gloriola, has chartas quando videbit oculis.

M. Christoph. Stöltzer.

O MER-



○ MERCKI, benè quem NOTAT hoc tam
nobile NOMEN,

Qvemq; NOTAT graphicis Theiologia NOTIS.

○ vos felices, queis legum multa sacrarum
Concessum Biblicis fugere ab uberibus,
Felices dico, quorum mens se intimat astris,
Inter & Angelicos saltat honora choros.

Felices imò queis flammea vulta Jehovæ
Permissum est avidis cernere ocelliculis.

Nos lites creperæ, vulpinaq; jurgia vexant,
Auratus verè nos quoque carcer habet.

○ vos felices iterum, hoc tua docta probabit
Lingva cathedrali de trabe dia tonans,

Quando GERHARDO Evangelia Præsidi solvis,
Fulmen quem indigetat Theiologia suum.


○ fruire his ergò fruire his felicibus ausis
Nam qui nunc felix, porrò beatus eris.

*Job. ab Hækelshoven ju-
nior Bresla-Silesius.*

00 A 6341

ULB Halle
002 919 516


3




W 02

Repro ✓







EXPLICATIO
ἑλεγκτικὴ
Evangelii Domin. XXV.
post Trinit.

Quam
P R E S I D E

Dn.
JOHANNE GERHARDO
DOCTORE ET PROFESSORE
THEOLOGO

Suo
Patrono, Præceptore & Fautore eternâ animi
observantiâ venerando

Ad disputandum proponit

M. ANDREAS MERCKIUS
Quernfurtenſis.

Ad diem 16. Novemb.

ANNO M. DC. XVI.

J E N Æ
Typis TOBIE STEINMANNI.

